

Honorum gradus

sub Imperatoribus Hadriano et Antonino

Pio

secundum veterem lapidem Dacicum explicati.

Quod in scriptoribus veteribus emendandis et illustrandis saepe fieri videmus, ut singuli aliqui loci aliqua de causa memorabiles peculiaribus disputationibus explicentur, id ego cum recte in illis tum rectius in inscriptionibus veteribus fieri existimo. Fere enim invenimus eos, qui aut institutum aliquod vetus aut dicendi genus persequuntur singulari quaestione, rectius id intelligere, quam qui, continentem narrationem dum explicare volunt, ad singula nec attendere satis nec ab initiis omnia repetere possunt. Inscriptiones autem eo opportuniorum talium quaestionum instituendarum habent occasionem, quod facilius per se quaeque spectari potest.

Id igitur hic facturus nulla excusatione opus esse arbitror, quod, quo liberior ea, de quibus mihi est proposita disputatione, tractarem, inscriptionem elegi nec nobilem illam quidem nec cuius uterer ego accurate expresso exemplo, sed memorabilem tamen et qua per argumentum disputationis meae recte duci possem. Est enim primum ex iis temporibus, quae cum florentissima fuerint imperii Romani, tamen insigni calamitate exigua tantum auctorum ac monumentorum nobis tradantur memoria, deinde honorum Romanorum, quales Hadriano et Antonino Pio Imperatoribus fuerunt, continuam a prima senatoria dignitate exhibet seriem, denique coloniae Romanae nobilissimae nec tamen satis apud nos notae facit mentionem. Atque hanc imprimis ob causam eam elegi e multis, quae in eodem argumento non minus bene, nonnullae fortasse melius

quaestionem meam possent regere, nec deterreri me passus sum, quod ad eam supplendam et illustrandam nulla habebam nova adiumenta. Neque ut verum fatear, quaesivi multum, num quae forte essent subsidia, quibus ego non uterer, num lapis ipse, in quo fuit haec inscriptio, in libro aliquo minus apud nos noto accurate descriptus esset. Videntur enim omnia ita posse constitui, ut illa externa quasi confirmatione non opus sit, sed sua, quae in ipsis est, veritate se defendant, quae scribenda esse existimamus. Gratum adeo mihi quadam ratione erit, si, quod minime fore puto, refuter in emendanda inscriptione ab iis, qui cum in illis regionibus, ubi ea inventa est, vivant, ipsum lapidem nancisci possunt, idque universis his litteris non mediocrem utilitatem allaturum puto: siquidem ita excitabuntur illorum studia, ut Romanorum Daciae monumentorum, quae multa latere videntur, certe etiam quae extant edita, hominibus doctis parum sunt nota, notitia propagetur. Digna enim profecto est vetus Dacia, cuius memoria cum imperii Romani florentissima aetate coniunctissima rectius explicetur atque illustretur, quam adhuc factum est.

Verum ut ad ipsum illud argumentum, de quo dicturus sum, perveniam, primum faciendum videtur, ut breviter commemorem, ubi haec inscriptio inventa, quomodo nobis tradita sit.

Reperta igitur est ad vicum Kornesel, ab eo loco, quo vetus colonia Sarmizegetusa fuisse existimatur, proximum, primusque eam edidit Zamosius in *Analectis lapidum vetustorum et nonnullarum in Dacia antiquitatum* Cap. V init. 1), homo in examinandis patriae suae monumentis religiosissimus. Is autem hoc exemplum exhibet:

1) Vsus autem sum ea editione, quae addita est Wolfgangi Lazii commentariis reipublicae Romanae, Francofurti 1598, ubi haec inscriptio legitur p. 18.

- C. CVRT
 OLLIVS . TROGVS . .
 IARVM . CVRANDARVM . .
 QVAESTORI . VRBANO . .
 5 INTER . TRIBVNICIOS . ADIV . DAD.
 PRAETORI . PEREGRINO . IIIII VIRO.
 TVRMIS . DVCENDIS . PRAEF . VMENI . DAIDI
 CVRATORI . VIAE . CLODIAE . ANNIAE . CASSIAE
 GIMINIAE . LEG . IMP . ANTONINI . AVGVSTI . PII.
 10 LEG . XXX . VAL . VICT . PROCON . PROVINCIAE
 COLLIAE . LEG . PRI . IMP . ANTON . AVG . PII
 PROVINCIAE . DACIAE.
 COL . VLP . TRAIANA . DACIC.
 SARMIZEG . PATRONO.

A quo tribus maxime in rebus apparet non accurate exprimi ipsam inscriptionem. Primum, quamquam est excusandum, molestum tamen est. Nimirum quamquam de ipsa versuum descriptione non dubito, certum tamen mihi est, aliter fuisse scriptum in lapide, cum sculptor in prioribus versibus, ubi pauciora erant verba, maioribus, postea minoribus litteris uteretur, quod Zamosius quia imitari aut noluit aut non potuit, effecit, ut parum certe, quot in quoque versu litterae fuerint, iudicari possit. Alterum autem positum est in culpa Zamosii, qui quot in quoque versu litterae deesse viderentur, diligenter notare debuit. Denique in iis, quae scripta sunt, vitia nonnulla esse apparet, in quorum emendatione disputatio nostra versari debet.

Hoc autem exemplum, etsi fide non ubique dignum erat, expressum tamen est ab omnibus reliquis editoribus, ab Ioann. Troestero in libro *Alt und Neu teutsches Dacien* (Nürnberg 1666) p. 462, sed ita ut nonnulla omittantur, a R. P. Fridvaltzkio in *Mineralogia Principatus Transilvaniae* n. IX, sed erroribus aliquot typographicis admissis, a Grutero in *Corpore Inscriptionum* p. 399, 6, ab Hohenhausenio in libro hoc: *Die Alterthümer Daciens in dem heutigen Siebenbürgen*, Wien

1775, p. 15, qui unde hauserit, non addit, sed in hoc certe errat, quod inscriptionem prope Albam Iuliam (hodie Carlsburg, vetus Apulum) inventam esse ait. Habet denique Seivertus in Inscriptionibus monumentorum Romanorum in Dacia mediterranea, Viennae 1773, p. 90 n. 125. Qui quamquam ex uno omnes auctore hausisse videntur, in nonnullis tamen, ut fit, discrepant, quae quamquam nec admodum memorabilia sunt, et ex operarum fere, dum typis describunt, erroribus nata, enotabo tamen, ne quid, quod gravius sit, latere videatur.

Versu 3 pro eo, quod apud Zamosium est IARVM, praeter Gruterum omnes explerunt VIARVM, recte sine dubio. — Vs. 5 Seivert distinguit ADI. V. DAD. nolens fortasse; nam explicat idem, quod ceteri. — Vs. 6 Hohenhausen. et Seivert. ediderunt III. III. VIRO, quae discrepantia quamvis levis videatur, insignis tamen erroris occasionem praebuit. — Vs. 7 Hohenhausen. extrema sic habet: VIMENI. DATCP, ineptam addens explicationem; Gudius apud Grut. recte in lapide ipso esse ait FRUMENTI. DANDI. — Vs. 9 init. Hohenhaus. exhibet GEMINAE ex emendatione, quam eandem proposuit Seivert. p. 91. — Vs. 10 init. Troesterus LEG. XIII, ex mero, ut opinor, errore. — Vs. 12 Seivert. omitit DACIAE, nescio suo an operarum errore. Est etiam quod differat in ea re, quid quisque in hac inscriptione perisse existimet. Cum enim Zamosius quattuor primos versus mutilos esse statuat, Gruterus septem explendos putat, Hohenhaus. autem etiam in duodecimo versu ab initio aliquid desiderari existimat. Qua de re tota inscriptione explicata certo statui poterit.

In explicatione autem huius inscriptionis primum quaeritur, quid hoc fuerit, in quo insculpta fuerit inscriptio? Quo in genere ponamus hic, quoniam certius, nisi tota re absoluta, dici non poterit, inscripta haec fuisse in basi statuac, quas scimus frequentissime iis, qui de civitate aliqua bene meruissent, esse positas. Quis deinde ille, cui posita est inscriptio, quis posuit? His enim de rebus, cum soleat plerumque certo constare, hic in dubio versamur, propterea quod

ea quae leguntur, aut mutila sunt aut non recte intellecta ab iis, qui descripserunt. Atque Hohenhausen. quidem (nam ceteri nihil dicunt, quia aut nolunt, ut Gruterus, aut non habent, quid dicant, ut Seivert.) parum scite agit, cum *Ollium*, ut opinatur, *Trogum* posuisse ait *nomine coloniae Vlpiae Traianae Sarmizegetusae*. Nam etiamsi statuas, perisse in inscriptione illud *nomine* iniuria temporis (quod quo loco potuerit esse, non video) nullam tamen novi inscriptionem, in qua tale quid legatur: sed, cum res ita ferret, ut mandatu alicuius civitatis aliquis aliquid poneret, idque commemorandum videretur, in fine addebatur *curante hoc* vel *illo*, ut est in celeberrima inscriptione Veronensi apud Gruter. Corp. Inscript. p. 166, 2 (Masseium in Museo Veronensi p. 197; Orellium Inscript. 1014) et aliis multis. Verum ut illa ratione dici possit, verborum collocatio non videtur ea esse posse, ut nomen eius, qui posuerit, intericiatur inter nomen et inter honores eius, cui positus est titulus. Quare, ne quid amplius hoc loco dicam, haec duo video effici, primum ut Ollius ille Trogus, qui putatur, non posuerit titulum, deinde ut posuerit colonia ipsa Sarmizegetusa, quo quidem ipsa verborum collocatio fert, quoniam eius nomen, qui posuit, in fine collocari solet. De hac igitur colonia primum nobis dicendum erit.

Ea sita erat secundum certas, ut videtur, hominum doctorum ¹⁾ opiniones in Dacia eo loco, qui hodie Varhély dicitur, i. e. arcis locus, prope viculum Valachorum Gradistia, quinque circiter passuum milibus distans a porta ferrea. Quo loco cum antea fuisset Deceballi, Dacorum regis, sedes, eo expulso et interfecto Traianus coloniam condidit frequentissimam, quae quamdiu Dacia Romanorum fuit, maxime floruit. Nam Traianus, ut Eutrop. 8, 3 narrat, *ex toto orbe Romano infinitas eo copias hominum transtulerat ad agros et urbes colendas. Da-*

1) Nomino praecipue Steph. Zamosium l. l. p. 14, qui cum eas regiones accurate descripserit, a ceteris repetitus est, a Mannerto in rebus Traiani ad Danubium gestis p. 73, ab eodem Geographiae tom. IV, p. 199, a Frankio in vita Traiani p. 161. Cf. etiam Hohenhaus. p. 25; Seivert. p. 6.

*cia enim diuturno bello Deceballi viris fuerat exhausta. Testantur autem coloniae magnitudinem ingentia rudera post tot annorum iniurias extantia et inscriptionum maxima vis. Traianum eius fuisse auctorem et nomen ipsum indicat et colligi potest ex Vlpiano in Digestis de Censibus (L, 15), qui ubi de iure Italico coloniarum dicit, haec habet: *Indicio quoque Zernensium colonia a divo Traiano deducta iuris Italici est; Zarmizegetusa quoque eiusdem iuris est*; nam haec si ab alio auctore deducta esset ac Zerna, addidisset Vlpianus aliquid. Sed certissimum testimonium superest in hac inscriptione, Varhély inventa, quam emendatissime habet Gruterus p. 6, 3:*

I . O . M .
 R O M V L O : P A R E N T I
 M A R T I . A V X I L I A T O R I
 F E L I C I E V S . A V S P I C I I S
 5 C A E S A R I S . D I V I . N E R V A E
 T R A I A N I . A V G V S T I
 C O N D I T A . C O L O N I A
 D A C I A
 S A R M I Z
 10 P E R
 M . S C A V R I A N V M
 E I V S . P R O P R . ¹⁾

1) Gruterus eam se exhibere ait ex Lazio et ex Clusii schedis: sed has cum secutum esse intelligitur inde, quod Laziis in commentariis reip. Romanae p. 123 et 927 versus aliter habet descriptos; itemque habet Seivert. l. l. n. 5, aliis auctoribus usus, sed uterque minus recte. Quamquam est quod iure de hac inscriptione dubites. Vtrum enim eam vivo an mortuo Traiano positam esse putamus? Neutrum videtur fieri posse. Nam si mortuo posita est, falsum est illud, quod additur, *Caesaris*, quia hoc in mortuorum nominibus constanter omittitur, nec causa intelligitur, cur mortuo imperatore haec posita sint: siu vivo putamus, *Divi* ferri nequit, quod nisi de mortuis, non dicitur. Quid igitur faciendum? Arbitror in extremo versu quinto non animadversum esse ab iis, qui descripserunt, litteram *F*, quae significaret, Traianum dici *Divi Nervae filium*. Verum ne sic quidem satis recta erunt omnia. Nunquam enim imperator dicitur *Caesar-Augustus*, sed semper *Imperator Caesar-Augustus*: quare in quarto quoque versu extremo excidisse opinor *IMP.*, nec ideo, dummodo paucas litteras contrahas, longior sit versus. Denique omissum est aliquid in ultimo versu. Ineptum enim est, *M. Scaurianum* dici propraetorem imperatoris, qui fuit legatus imperatoris. Quare scribendum est *LEG. EIVS. PROPR.* vel *LEG. PROPR.* Nam utraque ratione *ii*, qui imperatorias provincias regunt, dicuntur, ut vide de Daciae propraetoribus Seivert. n. 38 sqq.

Idemque colligitur ex aliis inscriptionibus. Cum enim constet, Daciam totam expugnatam esse a Traiano, si Sarmizigetusa colonia in titulis Traiano positis commemoratur, fieri non potest, quin ab eo ipso condita sit. Affertur autem a Seiverto Inscript. Dacic. p. 8, n. 8 haec:

IMP . CAES.
M . VLP . NERV . TRAIANO
AVG . PONT . MAX . TRIB.
POTEST . II . COS . II . P . P.
COL . VLPPIA
TRAIANA

ex vetere, ut ait, manuscripto: nec Lazius in comment. reip. Rom. p. 207, quem citat, differt in verbis ipsis; nam versus apud eum aliter esse dispositos, qui eius in hoc genere temeritatem noverit, non miretur. Quamquam temporis notatio, quae in hac inscriptione invenitur, parum recta est; nam anno 98 p. Chr. nat., quo Traianus tribuniciae potestatis II et cos. II erat, Dacia nondum victa, colonia Sarmizegetusa extare non potuit. Quare emendandum esse cum appareat, num tamen verum sit, quod Seivert. proposuit TRIB. POTEST. XII. COS. V., incertum est: sed hoc certo constat, positum esse hunc titulum a colonis Sarmizegetusae collocatis Traiano. Quamquam integram eam esse praestare nolo: videtur enim mihi deesse ultimus versus, quoniam nusquam colonia tantum *Vlpia Traiana* dicitur, sed fere *Dacica Sarmizegetusa* vel solum hoc *Sarmizegetusa* additur. Altera autem inscriptio eidem Traiano posita est apud Gruter. p. 46, 1 (Orell. 791) haec:

DEO . HERCVLI
PRO . SALVTE
DIVI . TRAIANI
AVGVSTI . ET
MARCIAE
SORORIS . AVG.
COLONIA . DAC.
SARMIZ. 1)

1) Gruterus habet ex Leunclavio et ex Clusii schedis. Eandem ex

Quam inscriptionem, in ruinis veteris coloniae inventam, positam esse existimo, cum Traianus cum Marciana sorore thermis Dacicis, quae Herculi sacrae erant, uteretur: de quibus peculiaris libellus est Paschalis Caryophili (Mantuae 1739). Testis denique est Traiani, auctoris huius coloniae, titulus apud Gruterum p. 19, 5:

IOVI . CVSTODI
 QVIRINO . SAL
 VATORI.
 PRO . SALVTE
 CAESA . NERVAE
 TRAIANI
 AVG.
 COL. SARMIZ. ¹⁾

Hac igitur ratione cum Sarmizegetusa colonia condita esset ac frequentata, summum discrimen adiit, cum Hadrianus, quo facilius imperii fines tueretur, Daciam barbaris relinquere statuit, vixque propter civium Romanorum, qui ibi consederant, multitudinem adductus est, ut eam retineret (Eutrop. 8, 3). Celebrat hoc eius consilium inscriptio, in ruinis coloniae ad delubrum vetus inventa, quam habent Gruterus p. 249, 4, Seivertus p. 9 n. 10, Hohenhausen. p. 47, ex Zamosio l. l. p. 14, ut videtur, omnes, qui sic exhibet:

Lazio p. 162 et 927 affert Seivert. n. 6, sed discrepantem et versuum dispositione et verborum scriptione. Quanquam in Gruteriano quoque exemplo hoc falsum est, quod *Divus* dicitur Traianus recteque Clusius apud Saxium in Lapidum vetustorum epigrammatis (Lipsiae 1746) p. 24 exhibet IMP. TRAIANI. AVGVSTI: idque in lapide fuisse, conicio etiam ex Seiverti exemplo, qui IMP. DIVI. TRAIANI habet.

1) Exhibetur ex schedis Vrsini et ex Lazio p. 162 et 927, quo solo cum usus esset Seivert. n. 7, postremam partem paulo aliter, sed eadem tamen sententia habet. Memorabilis autem haec inscriptio eo imprimis, quod *salvatoris* vox in ea invenitur, quae apud Christianos demum scriptores frequentari coepit. Potest adeo propter hanc vocem totus lapis videri suspectus; nam aliquoties Hercules dicitur *conservator* et apud Gruter. p. 45, 10 adeo *conservator domus Vlpiorum*, nunquam *salvator*. Vel, quod magis existimo, omnino non scriptum erat in lapide SALVATORI, sed SALVTARI, quod qui descripsit, in deteriore ipse versans latinitate, male interpretatus est. Nam *Hercules Salutaris* est apud Orell. n. 4092, et *Iuppiter Salutaris* apud Gruter. p. 1065, 5 (Orell. n. 1260).

IMP. CAES. DIVI. NERVAE. N. 1)
 TRAIANO. HADRIANO. AVG.
 PONT. MAX. COS. III. P. P.
 CVIVS. VIRTUTE. DACIA. IMPE
 RIO. ADDITA. FELIX. EST.
 M. ARRIVS. Q. R. COL. VL 2)
 PIAE. TRAI. SARMIZ.
 DEVOTVS. NVMINI. EIVS.
 EX. VOTO. POSVIT.

Nam nolo hanc inscriptionem videri suppositam, quod Eckhel. *Doctrina nummorum* tom. VI p. 494 existimat; ipse enim nummos affert Hadriani, in quibus est DACIA et EXERCITVS. DACICVS, et in aliis apud Spanhemium de usu et praestantia numismatum p. 727 est DACIA. FELIX. Recte igitur colonia poterat gratulari Hadriano, quod sua virtute Daciam imperio denuo quasi addidisset, dum pro ea tuenda bella subire non dubitat. Positus autem est hic titulus anno 119, quo Hadrianus erat cos. III, aut si normam ab Eckhelio *Doctr. numm. VI* p. 516 propositam sequere, qui eum patrem patriae nominari negat ante duodecimum annum tribuniciae potestatis, post. ann. 129 p. Chr. nat.

Hoc discrimen cum colonia effugisset, liberalitatem etiam Hadriani experta aquaeductum ab eo accepit anno 133 p. Chr., cuius testis est haec inscriptio, inventa in sacello prope veterem coloniam, quam habent Gruter. p. 177, 3 ex Zamasio l. l. p. 32, Seivert. n. 13, ex Grutero Orellius Corp. Inscript. n. 812, sed parum emendate:

1) Hoc N i. e. *nepoti*, primus apposuit Seivert., quod necessarium esse apparet. Sed memorabile tamen, quod deest DIVI. TRAIANI. F: nisi forte deest unus versus.

2) i. e. *Quaestori reipublicae coloniae Vlpiae* etc. Nimirum erant etiam alii quaestores in coloniis, ut alimentorum. Vide Orell. n. 5005. Idemque QUAEATOR. R. est in alia Dacica inscriptione apud Gruter. p. 347, 4 (Seivert. n. 124).

IMP. CAES. DIVI. TRAIANI.
 PARTHICI. F. DIVI. NERVAE. NEP.
 TRAIAN. HADRIAN. AVG. PONT.
 MAX. TRIB. POTEST. XVI. COS. III. P. P.
 AQVA. INDVCTA. COLON. DACIC. SARMIZ.
 PER. CN. PAPIRIVM. AELIANVM.
 LEG. EIVS.

PR. PR. ¹⁾

Antonini Pii temporibus quid coloniae acciderit, nihil magno-
 pere memorabile invenio in inscriptionibus, sed sub M. Aure-
 lio belli Marcomannici tempestas etiam Daciam videtur atti-
 gisse. Quod quo anno factum sit, certo dici nequit, quia Dio
 Cass. libr. 71, 12, quae de Dacia a barbaris vastata narrat,
 ad quem annum retulerit, incertum est. Sed quocumque id
 anno factum est, pertinet eo inscriptio in vico Ostrohiensi,
 coloniae Dacicae vicino, reperta, quam habent Gruter. p. 465, 2
 et Seivert. p. 38, uterque ex Zamosio l. l. p. 22, sed versibus
 rectius dispositis:

C. RVTILIO. COCLITI. C. F.
 VIRO. GYMNASIARCHAE ²⁾
 LEG. IMP. CAES. M. AVR. ANTONINI
 AVG. PROPR. DACIAE, HONORVM
 OMNIVM. CANDIDATO. ³⁾ PRAEF. LEG.
 XIII. G. DONATO. SACRA. CORONA.
 MVRALI. OB. REM. FORTITER. GESTAM.
 IN. EXPEDITIONE. DACICA. S. P. Q.
 VLP. TRAIAN. SARM. PATRONO
 DE. REP. B. M. P.

1) Secutus sum Zamosii lectionem, cum quo ceteri consentiunt,
 nisi quod nonnulla verba vel plenius vel brevius scripta habent. Orel-
 lius autem alterum versum quia omisit, intelligi nequit. Aquaeductus
 Iulius fornices extare hodie dicit Frankius in vita Traiani p. 163.

2) De Gymnasiarchis nihil h. l. dicam, sed hoc adnoto, dici *virum*
Gymnasiarcham, nimirum graeca dicendi ratione, siquidem totus est
 ipsum nomen Gymnasiarchae graeca sunt.

3) Coniunge haec sic: *Legato imperatoris Antonini pro praetore*
Daciae et eiusdem Antonini omnium honorum candidato. Nam, ut ad
 singulos honores imperator commendare solebat, cuius rei mentio fre-
 quentissima est in inscriptionibus: sic nonnullis hoc videtur esse tribu-

Idem, opinor, bellum occasionem dedit alius tituli ponendi, qui legitur apud Muratorium in Novo Thesaurο Inscriptionum p. 1121, 7 ex Marsilii comitis Danubio Pannonico – Mysico p. 139, apud Seivert. Inscript. Dacic. n. 26, apud Maffeiū Mus. Veron. p. 249, 9 et ex eo apud Orellium n. 878. Verum ipse vidit et descripsit Hohenhausen. I. I. p. 63, qui nunc extare ait in templo Valachorum Rudimorae in valle Hadzeck. Eum, ut locupletissimum testem sequor:

DIVO . VERO . PARTH . MAX . FRATRI
 IMP . CAESARIS . M . AVRELI . ANTONI . AVG.
 ARMENIAC . MIDIC . GERMA . PARTHIC . MAX.
 TRIBVNIC . POIISTATIS . XXVII . IMP . V' . P . P.
 CŌS . III . PROCS . 1)
 COLONIA . VLPĪA . TRAIAN . AVG . DAC.
 SARMIZEGETVSA.

Temporis autem notatio in hoc lapide non recta est, et differunt in ea, qui eum referunt. Nam Maffeiū I. I. habet TRIB. POTESTATIS XXVI, Seivert. IMP. VII. Verumtamen M. Aurelius quo anno erat trib. pot. XXVI, erat Imp. VI. et quo anno IMP. VII, eo trib. pot. XXVIII. Quare cum ulique emendandum sit, servato altero scribo TRIBVNIC. POTESTATIS (nam sic in lapide legendum esse apparet) XXVII. IMP. VI. i. e. anno 173 p. Chr. nat. Nec antea hic titulus poni potuit, quoniam anno superiore demum Marcus Germanici titulum acceperat. Vide Eckhel. Doctr. Numm. Tom. VII p. 59.

Iam cum coloniae Sarmizegetusae, quae hunc titulum C. Curtio posuit, historiam usque ad id tempus, quo posuit, perduxerimus, sequitur, ut de homine ipso, cui positus est, dica-

tum, ut eos se ad omnes honores commendaturum imperator promitteret. Explicatiorem eius rei memoriam invenio in lapide Tiburtino apud Grut. p. 457, 4: *In omnibus honoribus candidato imperatoris.*

1) Memorabile, quod M. Aurelius iam hoc anno dicitur P. P. i. e. pater patriae, cum perpetuo ab eo hunc titulum anno demum 176 vel 177 p. Chr. usurpatum esse doceat Eckhel. Doctr. numm. Tom. VII p. 70. *Proconsulis* autem cognomen ab ipsa hac Antoninorum aetate imperatores gerere consueverant, tanquam insigne perpetuae proconsularis potestatis, qua utebantur. Vide Eckhel. Doctr. numm. Tom. VIII p. 342.

mus. Eum cum C. Curtium nominavimus, coniectura usi sumus ad supplendum primum versum, sed quae tamen facile cuivis in mentem veniat. At alter versus est difficilior et in quo haereas, nisi alia monumenta accedant, quae de eodem homine aliquid tradant. Nam de Pollio vel Ollio Trogo, de quo iam supra dictum est, nihil hic addimus: est omnino Trogi nomen rarum in inscriptionibus, quo, si quis emendare velit, abstinere satius sit. Tres autem inscriptiones, quod equidem noverim, extant, quae ad hunc eundem C. Curtium referri possint, quarum prima est apud Reinesium Syntagm. Inscription. Class. I p. 187, sed ex malo exemplo Zamosii (libro laudato p. 307) descripta: emendatius habet Seivert. Inscript. Dacic. n. 14, emendatissimam Maffei Mus. Veron. p. 241, 3 et 4, unde eam prorsus huc non pertinere intelligitur ¹⁾. Altera autem, quae rectius huc referri possit, est apud Gruter. p. 400, 1, ex Zamosio p. 19, apud Seivert. I. I. n. 79, Maffei Mus. Veron. 250, 4, denique apud Orell. Collect. Inscript. n. 3441, qui solo Grutero videtur usus esse. In ea autem videntur haec fuisse ²⁾:

C . CVRTIO . C . F.

POLLIA . RVFIN.

TRIBVNO . LATICL.

LEG . XIII . GEM . HVIR

A . A . A . F . F.

COL . VLPIA . TRAIAN.

DACIC . SARMIZ.

Curtii nomen non erat admodum frequens, nec in hac inscri-

1) Nimirum cum in lapide pro salute Imp. Antonini Pii dedicato Reinesius nomen eius, qui dedicavit, legisset RUFINUS LEG. XIII. G, Maffei exhibuit Q. RUFIVS etc., invenitque duos esse lapides, nec eum, in quo legitur Q. Rufii nomen, pertinere ad alterum, qui positus est pro salute Pii. Ipse plura de eo dixit in Observationibus litterariis p. 209.

2) Dixi videri haec in eo scripta esse. Ipse enim lapis periit, Tibisco flumine, cum Vindobonam asportaretur, haustus. Videant, quorum intererit, quo casu magna pars Dacicarum inscriptionum interierit, Maffei Museum Veronense p. 236. In hac igitur inscriptione apud auctores hanc video lectionis varietatem: Versus 3. apud Maffei totus deest, etsi magnopere est necessarius, et vs. 5., quod Maff. et Seivert. habent item recte F. F., id ceteri omittunt.

ptione ulla temporis notatio, unde eam alio tempore atque hanc, de qua dicimus, positam esse possimus colligere. Facile igitur aliquis existimare poterit, eidem Curtio duos hos titulos a colonia Traiana esse positos. Verumtamen nec honores, quos hi Curtii gessisse dicuntur, satis consentiunt, qua de re paulo infra dicetur, nec intelligitur, qua de causa colonia Vlpia Traiana adolescenti C. Curtio titulum ponere potuerit. Puto igitur filium fuisse C. Curtium, qui h. l. triumvir monetalis dicitur, eius de quo universa haec disputatio instituta est. Confirmat id prorsus inscriptio, quam inveni apud Chr. Saxium in Lapidum vetustorum epigrammatis et periculo animadversionum in aliquot marmora (Lipsiae 1746) p. 15, repertam *in arcis ruderibus Arcisati* (loco Italiae superioris, hodie in provincia Comensi, Arcisate), quae haec est:

C. CVR. RVFINO

TR. MIL. LEG. XIII.

SEVIR. TVRMIS

DYGEN. IIIVIR.

5 A. A. A. F. F. C. CVRTI

VS. PATER

L. D. D.

Etenim, si, quod veri est simillimum, hic C. Curtius Rufinus idem est qui in inscriptione illa, provectior modo et honoribus et aetate, item hoc efficitur, ut C. Curtius, qui hic pater vocatur, sit ille ipse, de quo quaeritur. Idque confirmatur ea re, quod legionem XIII Geminam constat in Dacia fuisse positam, ut filius tribunus sub patre pro praetore meruisse videatur. Eadem igitur pater et filius erant tribu, eodem cognomine, quod utrumque cum in titulis paulo sollemnioribus omitti nequeat, in hac quoque inscriptione certe commemoratum est. In qua cum locum quaerimus, ubi ea esse potuerint, nullus reperitur opportunior quam is, ubi molestus ille est *Ollius Trogus*, quo quid faciendum sit, prorsus ignoratur. Quid multa? Initium versus secundi sic ego constituendum arbitror: (P)OLL, i. e. Pollia tribu, RVFINO, in quo nullam litteram aut

omissam aut additam, quattuor leviter mutatas esse videmus. Iam totum nomen eius, cui haec inscriptio posita est, erit *C. Curtius*, *F., Pollia Rufinus*.

Honorum autem huius *C. Curtii Rufini* primum gradum indicat versus tertius, quem sic explendum esse apparet (V)IARVM. CVRANDARVM; quod si verum est, item hoc certum, in versu antecedenti scribendum esse IIIIVIRO. Qualis igitur sub Antonino ille magistratus? Dicit de eo, ne multos afferam, Lipsius ad Taciti Annales 3, 31 excursu et ita dicit, ut pauca vel supplenda esse videantur vel emendanda: minus recte de eadem re disputat Ever. Otto de tutela viarum p. 370 sqq., non satis, quid inter IIIIViros et inter curatores viarum differat, intelligens. Antiquissimum autem erat munus IIII virorum viarum curandarum (sive Viocurorum, ut appellat Varro de ling. lat. lib. V, 1 et 32), institutum, si fides est Pomponio §. 30 Dig. de origine iuris (I, 2) paulo post praetores. Antea quidem cum iis IIIViri, qui vias extra urbem curarent, coniuncti fuerunt, sed eos Augustus sustulit, retentis iis, qui viarum urbis curam gererent (Dio lib. LIV, 26). Novatum etiam hoc est ab Augusto, quod, cum antea is quasi primus gradus fuisset, quem ii qui amplissimos honores peterent, ambirent, ipse, cum inopia esset hominum locupletium, qui senatoria dignitate uti vellent, equites quoque et in XXVIROS et in hos IIII viros recepit, qui peracto munere in utro vellent ordine permanerent. Necessario igitur fiebat, ut hic quattuorviratus aliis esset initium honorum, aliis finis, cum ii, qui senatorium censum haberent, inde ceteros gradus aspicerentur, qui altius progredi aut nollent aut nequirent, eum magistratum tanquam supra ordinem suum positum adipiscerentur. Quoqtamen in genere consentaneum est, eorum quibus illud summum erat honorum fastigium, exiguam esse memoriam: in inscriptionibus certe rara exempla, et si qua sunt, ea sunt pleraque eiusmodi, ut non certo dici possit, num ii alios postea honores consecuti sint. Sed pertinere tamen huc existimo hos duos lapides, quorum unus est apud Muraterium Nov. thes. p. 702, 1:

P. FLAVIO . MENANDRO . C . I .

IIIIIVIR . VIARVM . CVRANDARVM .

FILIO . DVLCISSIMO . ET . INCOMPA

RABILI . GAVIA . PROCVLA . L . F . MATER . 1)

alter apud eundem Murat. p. 1117, 5

M . NVMESIVS . M . F . PAL . NEMESIANVS

MAGISTER . AVGVSTALIS . COLONIAE

SEPTINAE . SAL . MARTIALIS . CAPVLATVS

IIIIIVIR . VIARVM . CVRANDARVM . VIV

VS . FECIT . SIBI . ET . SVIS . LIBERTIS . ET

POSTERIS . EORVM . H . M . D . M . AE .

IN . FR . PED . XVII

IN . AGR . PED . XVIII .

in quo quamquam nonnulla sunt mendosa 2), videmus tamen, hominem municipalem, qui in patria tantum sua honoribus uti consuesset, tandem etiam Romae quattuorviratu illo ita esse auctum, ut nullos propterea alios honores affectaret. At alterius generis IIIIVIRI, qui cum ad altiores gradus aspirarent, ab hoc cursum suum incipiebant, frequenter commemorantur, quorum exempla afferro nulla 3).

Quomodo autem hi IIIIVIRI diversi fuerint a curatoribus viarum, qui ab Augusto instituti sunt, paulo post dicetur: illud unum h. l. commemoro, non prorsus intra urbis fines contineri videri eorum munus. Colligi hoc potest ex ea inscriptione, quae est apud Grut. p. 199, 1 (Orell. 150), ubi, cum

1) Hic quidem dubitari potest, num futurum fuisset, ut P. Flavius Menander, si diutius vixisset, alios honores consequeretur. Quod non puto propter nominis rationem; nam Menandri cognomen libertinum videtur significare. Quare incertum est, utro modo primus versus sit emendandus, utrum c. f. an c. l. i. e. Gaii liberti.

2) Nam primum vs. 3 scribendum SETINAE; nam Setiae inventus esse dicitur lapis; deinde vs. 5. LIBERIS. In sequenti autem versu quid AB significet, parum intelligo.

3) Sed unum tamen afferam lapidem, unde non recte videantur esse expulsi, qui est apud Gruterum p. 492, 4, mutilus ille quidem in nomine eius, cui positus est, sed integer in honoribus, ubi, cum falso nunc legatur IIIIVIR. VIAR. CVRAND., scribendum est IIIIVIR. Nusquam enim IIIIVIR viarum curandarum commemoratur.

de via Traiana per Bruttios et Salentinos facta dicitur, in viri in eo opere faciundo commemorantur, qui quo alio pertinere possint, non intelligo. Alias similes inscriptiones nunc quidem ignoro; nam ea, quae ex Grutero p. 248, 6 Euer. Otto de tutela viar. p. 377 affert, suspecta mihi est, nec Gudianis, quae ab eodem laudantur, satis fidem habeo ¹⁾.

Quem deinceps honorem C. Curtius assecutus sit, significat versus quartus, in quo *Quaestor urbanus* dicitur. De quo munere universo hic non disputabo; sed hoc tamen quaeritur, quid C. Curtius in quaestura sua egerit. Iam ipsum nomen Quaestoris urbani indicat, ut in vetere republica, ita sub imperatoribus fuisse alios etiam quaestores, qui in provincias mitterentur, qui quot fuerint, nescitur. In urbe autem novimus aliquos fuisse, qui litteras principis in senatu recitarent, quod institutum ab Augusto, servatum est ab ceteris imperatoribus ²⁾. Sed hoc quaeritur, num praeter hos imperatoris quaestores eo tempore, quo C. Curtius quaestura functus est, etiam alii in urbe fuerint. Aliquando quidem fuisse certum est; nam Claudius quaestoribus aerarii curam tradidisse dicitur a Sueton. in eius vita 24; sed paulo post id mutatum est a Nerone, vetere more reducto, ut ex praetoriis viris bini quotannis a principe deligerentur (Tacit. Annal. 13, 29), idque suo tempore manere dicit Sueton. l. l. Quamquam quaedam in hoc genere difficultates existunt ex inscriptionibus. Tres enim sunt tituli apud Gruterum p. 424, 8; 1026, 9; 1027, 4 (437, 2) ³⁾, in quibus semel QVAEST. AB AERA, bis V. Q. AB. AERARIO. SA-

1) Laudat autem Otto Gudii Inscript. p. 52, 2 et p. 99, 1 et p. 121, 12; p. 125, 6; p. 138, 6, quae omnes ex Ligorio petitae sunt, ac tot tamque novas res exhibent, ut, etiamsi ille auctor non accederet, merito tamen spernerentur. Non attuli hic Grat. p. 150, 1 et 2 et 3, ubi in viri in via prope Romam facta commemorantur, quippe cum probabile sit, eisdem vicinas urbi vias fuisse commissas. Cf. infra.

2) Plures enim fuisse intelligitur ex Plinii Epistol. 7, 16 et §. 4 Digest. de officio quaestoris (I, 13).

3) Hagenbuchius apud Orellium Inscript. n. 3150 etiam alios citat, quos frustra equidem quaesivi. Quod autem est V. Q., interpretatur *virum quaestorium*, recte, ut videtur. Commemorantur etiam alii multi *quaestores aerarii* et *quaestores ab aerario*, sed in municipiis et coloniis, non Romae.

TURNI commemoratur, et in tertio quidem titulo etiam annus additur, quo positus sit, nimirum ann. 195 p. Chr. nat. Nec tamen ideo quicquam postea mutatum esse puto, ut quaestores vel quaestorii rursus pro praetoriis aerario praessent. Nec moveor quod sub Traiano *praefecti aerarii Saturni* commemorantur, cum nomen modo, non genus eorum, qui praessent, mutatum esse putem. Praefecti enim ex viris praetoriis eligebantur 1). Existimo igitur summam quidem aerarii curam fuisse penes praetorios illos, sed sub iis quaedam etiam administrasse eos, qui quaestura functi essent. Nimirum non quaestores ipsi ad eam rem adhibebantur, quia aerarii cura imprimis exercitationem et usum videbatur desiderare, nec id munus annuo spatio sed longiore finiebatur. Praeter haec duo munera, unum ipsorum quaestorum, alterum eorum, qui quaestores fuerant, designatorum quaestorum novum accesserat sub Claudio. Is enim, ut Sueton. in eius vita c. 24 ait, *collegio quaestorum pro stratura viarum gladiatorium munus iniunxit*; et Tacit. Annal. 11, 22 omisso eo, quod ante quaestores muneris habuerant, alterum tamen commemorat. *Publius Dolabella censuit spectaculum gladiatorium per omnes annos celebrandum pecunia eorum, qui quaesturam adipiscerentur*. Ante Claudium igitur quaestores designati straturam viarum habuerant. Quarum viarum? Opinor, urbis Romae, nam earum, quae extra eam erant, peculiare curatores ab Augusto constitutos esse infra demonstrabimus. Tum autem etiam urbanarum viarum curatores videntur instituti esse; certe *curatores viae triumphalis* commemorari video in inscriptionibus apud Gruter. p. 457, 6 et 465, 5. Cf. etiam Gruter. p. 160, 3. Nero quaestoribus candidatis *necessitatem edendi gla-*

1) Quare Plinio juniori, cum esset praefectus aerarii, consulatus delatus est ab Traiano (Plin. Panegy. 92, 1) omninoque fieri solere, ut is, qui aerario praefuisset, brevi consul fieret, significat Plin. Epist. 13, 11. Bellis civilibus ante Vespasianum rursus aerario praefuisse praetores demonstravit Lipsius ad Tacit. Annal. 13, 29. Quod autem idem ex Plinii Panegy. 91 init. „*Nondum biennium compleveramus in officio laboriosissimo et maximo*“ colligit, per biennium praefectos aerario praefuisse, non videtur certo fieri posse.

diatores remisit ut ait Tacit. Annal. 13, 5 i. e. ut liceret quidem, sed ne cogerentur: Domitianus vero, quo erat inflammatus studio spectaculorum, eam reduxit (Sueton. Domit. c. 4). Sed necessitatem retenta consuetudine iterum sublata esse existimo ab iis, qui secuti sunt, imperatoribus: quae quaestoria munera cum populus desideraret, Alexander Severus *quaestores candidatos ex sua pecunia iussit munera populo dare, sed ita, ut post quaesturam praeturas acciperent* (Lamprid. Alex. Sev. c. 43). Quamquam noli hoc ita intelligere, ut putes, omnes quaestores designatos iussos esse ex pecunia imperatoris ludos edere et deinde praetores fieri: nimium hoc erat, nec *designatos* dicit, sed *candidatos* i. e. candidatos imperatoris, quos ipse ad eum honorem commendasset et quibus deinde in munere ad sua negotia uteretur. Antonini igitur Pii aetate quaestores poterant munus gladiatorium edere, sed nequaquam coacti erant. Quamquam haec, quae de designatis quaestoribus et de quaestoriis diximus, minus ad eam quaestionem pertinent, num praeter quaestores imperatoris etiam alii in urbe fuerint: sed hoc tamen intelligitur, ex omnibus quaestoriis muneribus, quae quidem urbe contineantur, nullum relinqui ipsis quaestoribus praeter id, quod in litteris principis recitandis positum est. Significatur id munus nonnunquam appposito imperatoris nomine. Ut Plinium iuniorem ex eius epistolis lib. 7, 16 cognoscimus fuisse *quaestorem Caesaris*, ut ait; isque in celebri inscriptione, in qua honores eius enumerantur, apud Orell. n. 1172 dicitur QVAESTOR. IMP. i. e. quaestor imperatoris. Itemque est *Quaestor Augusti* apud Gruter. p. 393, 6, et saepius commemorantur *Quaestores candidati principis* ¹⁾, sed saepissime dicuntur *Quaestores urbani*, ante Diocletianum quidem, qui cum muneribus etiam nomina mutavit (Vide Gruter. p. 348, 1; p. 350, 7; p. 354, 5; p. 476, 5; p. 492, 9; Orell. n. 3659). His omnibus ego no-

1) Nam sic nominari eos, qui litteris principis in senatu recitandis vacabant, certum est. Vide Walteri historiam iuris Romani p. 292; Dig. §. 4 de officio quaestoris (I, 13).

minibus idem honoris ac muneris genus significari existimo; idque confirmari puto ab Vlpiano in Dig. de officio quaestoris (I, 13): *ex quaestoribus quidam solebant provincias sortiri ex senatusconsulto.* — Sane non omnes quaestores provincias sortiebantur, verum excepti erant candidati principis: hi enim solis libris principalibus in senatu legendis vacabant. Quare sub Alexandro Severo anno 223 p. Chr. nat. nominatur *candidatus* (principis) *quaestor urbanus* apud Muratorium p. 397, 4. C. Curtius igitur in quaestura imperatoris Hadriani candidatus erat. Nam cur huius, non Antonini Pii, fuisse existinem, ex iis, quae paulo post dicam, apparebit.

Quem honorem C. Curtius post quaesturam adeptus sit, significat versus quintus, in quo tamen ea, quae vulgo leguntur, intelligi nequeunt. Non refutabo hoc loco interpretationem Hohenhausenii et Seiverti, qui INTER. TRIBUNICIOS. ADIVTORES DADI vel ADIVTORI DADI explicant; ne Scaliger quidem apud Gruterum videtur intellexisse. Ego vero cum illud, quod est INTER. TRIBUNICIOS, considero, deesse aliquid intelligo: potest enim aliquis nominari *tribunicius*, non potest *inter tribunicios*. Et deesse aliquid in versu, qui antecedit, spatium quod vacuum relictum est, significat. Facile igitur occurrit illud, quod persaepe in inscriptionibus invenitur, scribendum esse ALLECTO. INTER. TRIBUNICIOS, et, quoniam in hac formula addi fere video, a quo quis imperatore allectus sit, ea, quae sequuntur, sic lego: A. DIVO. HADRIANO. Quam mutationem nec difficilem esse existimo et re ipsa excusari.

Nimirum C. Julius Caesar, cum post bella civilia tot sibi hominibus gratiam referendam atque honores, quos pollicitus erat, reddendos esse intelligeret, quot, si vulgarem honorem cursum observaret, per multos annos non posset, speciem quandam primus invenit, qua sine potestate homines dignitate tamen honorum uterentur. De ea re Sueton. Caesar. 76 *Eadem licentia* — *decem praetoris viris consularia ornamenta tribuit* etc., qui unum nominat pro multis, nam plenius Dio Cassius lib. 43, 47 πολλοὺς δὲ καὶ ἐς τοὺς εἰρησφίδας τοὺς τε

ὑπατευκότας ἢ καὶ ἀρχὴν τινα ἄρξαντας ἐγκατέλεξεν. Suetonius igitur dicit praetoriis viris ornamenta consularia esse data, Dio, ut in hoc uno consistam, multos esse inter consulares relatos. Inde vulgo colligunt viri docti, ornamenta alicuius dignitatis alicui dare et inter eos, qui aliquo honore functi sunt, referre, esse idem ¹⁾. Quamquam ipsa illa verba allegendi (ἐγκατέλεξεν) et ornamentis ornandi discrimen ali-quod esse significant. Nam *allegere* censoris est, qui cum senatum legit, si quos, qui nondum senatores fuerant, addit, eos allegit. Quare constanti vocis usu aliquis allegitur in senatum, allegitur inter patricios, item inter tribunicios, inter praetorios ²⁾ etc. Alterum autem, ornamenta sive insignia alicuius honoris decernere, si rei naturam investiges, quoniam nulla potestas defertur, est senatus, qui, ut simile aliquid afferam, triumphum et triumphalia ornamenta decernebat. Nec dubium est, quin in hoc genere imperatores veteris libertatis speciem ita servarint, ut, si cui vellent ornamenta alicuius honoris deferre, senatusconsulto interposito uterentur.

Vt autem ab alio tribuuntur ornamenta honorum, ab alio aliquis refertur inter eos, qui honore aliquo functi sunt, ita ipsae res longe inter se sunt diversae. Qui enim ornamenta praetoria accepit, is habet insignia eius, qui praetor fuit, i. e. togam praetextam, sellam curulem, ius imaginum etc.; qui inter praetorios relatus est, is, quamquam non fuit, tamen ita habetur, quasi fuerit praetor i. e. et in senatu est habetque eum locum sententiae dicendae, quem habent ii, qui praeturam vere gesserunt, et potest continuo ad consulatum aspirare, quod non potest, qui ornamenta modo praetoria adeptus est.

1) Recentissimum historiae iuris Romani scriptorem cito, Walterum p. 292, qui sic ait: Um seine Günstlinge zu belohnen, liess der Princeps häufig auch einfachen Senatoren oder gar solchen, die nicht einmal Senatoren gewesen waren, die Ehrenrechte der gewesenen Consuln, Prätoeren oder Quästoren beilegen. Dieses hiess ornamenta oder insignia consularia, praetoria etc. decernere oder inter consulares etc. referre.

2) Festus i. v. *allecti*: *Allecti dicebantur apud Romanos, qui propter inopiam* (sc. senatorii ordinis) *ex equestri ordine in senatorum sunt numero assumpti.*

Longe igitur re maius est, inter praetorios referri, quam ornamenta praetoria accipere.

Nam praeter muneris ipsius administrationem honore aliquo adipiscendo duo quasi fructus spectantur, quorum alter in insignibus eius et in ordine quasi positus ad externam speciem et ad vanitatem hominum est accommodatus, alter eo continetur, ut, honore si perfunctus eris, possis et provincias administrare et tuo loco sententiam in senatu dicere et ad altiores denique gradus ascendere. Quos fructus, cum antea cum ipsis honoribus coniuncti fuissent, Caesar, quia honores ad multitudinem hominum non sufficebant, diremit, dum eos, quos ad honores ipsos gerendos minus idoneos esse iudicabat, fructus tamen eorum percipere iubet ¹⁾. Imitatus est eum senatus Romanus, cum Caesar Octavianus ferocius per milites consulatum petere coepisset, qui honoribus consularibus eum ornavit, et adiecit, ut sententiam in senatu eo loco diceret, quo qui consulares sunt, dicunt ²⁾. Servata est ea consuetudo ab Augusto, diremptis quodammodo his honorum fructibus, sed ita diremptis, ut, qui ornamenta alicuius senatoriae dignitatis acciperet, esset vere senator et sententiam in senatu loco vel inferiore vel superiore diceret. Nec usurpatum id est, nisi fere in filiis nepotibusque Augusti. Ut Marcello anno 24 a Chr. nat. senatus decrevit, ut senator esset inter praetorios (*βουλευεῖν ἐν τοῖς ἐστρατηγηκόσι*, Dio Cass. 53, 28) simulque aedilitatem tribuit, idem senatus postea Germanico ornamenta praetoria et ut primus post consulares sententiam in senatu diceret ³⁾.

1) Hinc conciliandi loci illi Suetonii et Dionis, quos supra attuli, quorum ille eum fructum nominat, qui est in externa specie et insignibus, hic eum, qui est in sententia aliquo loco in senatu dicenda. Nam eos, qui ornamentis alicuius honoris donati erant, allectos esse etiam inter senatores vel ingens numerus senatorum, qui tum erat, arguit. Dio autem etiam suae aetatis consuetudine deceptus minus recte loquitur; nam ante Claudium neminem, quod vere dicatur, allectum esse in senatum paulo infra demonstrabimus.

2) Verba Dionis Cassii libr. 46, 41 haec sunt: *ταῖς δὲ δὴ τιμαῖς ταῖς ὑπαικταῖς ἐκόσμησεν, ὥστε καὶ γνώμην ἐν τοῖς ὑπαιευκόσιν ἤδη τίθεσθαι*. Quae senatus consulti verba fuerint, colligi potest ex Ciceron. Philipp. 5, 17. Cf. etiam Livium epit. libr. 118.

3) Dio libr. 56, 17. Tiberio primum ornamenta praetoria a senatu

Sub Tiberio gliscens paulatim adulatio haec duo nova attulit, primum, ut ornamenta senatoriarum dignitatum decernerentur iis, qui non simul fierent senatores, deinde ut is honos extra domum Imperatoris divulgaretur. Nam Aelius Seianus, praefectus praetorio, ornatus erat a senatu praetoriis honoribus (Dio libr. 57, 19) ¹⁾, eademque postea oblata sunt Naevio Macroni, item praefecto praetorio, et Graecino Laconi ²⁾, nocturnorum vigilum praefecto, quaestoria (Dio libr. 58, 12). Equestres autem erant dignitates et praetorii et vigilum praefectura. Ad illud igitur tempus omnia haec semper a senatu profecta sunt, nec, quod erat illud quasi allegere inter eos, qui honorem aliquem gesserant, ultra valebat, nisi ut loco aliquo in senatu sententiae dicendae potestas esset. Disiunctio autem facta erat ipsorum illorum quasi fructum, ut et ornamenta senatoriae dignitatis posset habere, qui non esset senator, et in senatu esse inter eos, qui honorem aliquem gessissent, qui non haberet ornamenta. Quare imperator Claudius, dum ornamenta honorum senatui permittit, ipse in censura, quam anno 48 p. Chr. nat. cum L. Vitellio gessit, aliud novum genus induxit, ut eos, quorum dignitatem provehere vellet, senatum legens in alliore gradu, quam ante fuerant, poneret. Quod quidem gravius longe erat, quam id, quod senatus ante decreverat de sententia aliquo loco in senatu dicenda; nam ex gr. is qui inter praetorios allectus erat, omnibus in rebus ita habebatur, tanquam vere praeturam gessisset, ut et provinciam

decreta sunt (Dio. l. 54, 10); deinde vere praetor fuit (Dio. l. 54, 19). Item Druso primum ornamenta praetoria decreta (Dio. libr. 54, 22), deinde aedilitas data est.

1) Nec enim referendum est in hoc genere, quod in eodem Seiano postea anno 31 p. Chr. factum est, cum Tiberius eum secum consullem fecit (Dio Cass. lib. LVIII, 4). Novum id erat prorsus et singulare, nec fecisset Tiberius, nisi Seianum decipere vellet, quippe cui etiam tribuniciae potestatis societatem delaturum se significasset. Quod Dio lib. LVIII, 11 ait de senatu Seiano adulante: *ὄν τῷ περιπορεύσθω ἑμαίῳ ἐξόσμησαν*, incertum est, num ad praetoria ornamenta decreta, an ad honorem aliquem in consulatu tribuendo habitum pertineat.

2) Ad hunc num pertineat inscriptio apud Gruterum p. 417, 2, ubi Graecinus quidam Laco cognominatur *ornamentis consularibus*, dubito. Nam mihi quidem suspecta est. At fuerit iis donatus a C. Caesare.

deinde posset administrare ¹⁾, nec eundem postea honorem iterum adipisceretur. Testes eius rei sunt inscriptiones. Affero hanc, quam habet Maffei in Museo Veronensi p. 377, 8 (Orell. n. 3146):

M . SALONIO
 A . TI . CLAUDIO . CAESARE
 AVGVSTO . GERMANICO.
 [CENSORE] IN
 5 SENATVM . ET . INTER
 TRIBUNITIOS . RELATO
 AB . EODEM . ADCSITO . IN
 NVMERO . [PATRICIORVM]
 SALONIA . MATER
 10 FILIO . PIENTISSIMO
 VIVA . FECIT.

quae praeclare illustratur altera, quam habet Gruterus p. 384, 3 ²⁾:

1) Aperte enim hoc intelligitur ex inscriptionibus, ut ex ea, quam paulo post citabimus, apud Orellium n. 3659, ubi qui fuerat inter praetorios allectus, non functus vere praetura, multas provincias rexit.

2) In hac enim quidam M. Calvus, M. F., M. N., *inter patricios* (ita enim explico PATRI, nec apposuisset ille nomen patricii, nisi recens ab imperatore esset allectus) a Claudio *Censore* i. e. tum, cum vere Censor erat (nam potestate quidem censoria semper imperatores utebantur) et in senatum inter tribunicios allectus esse dicitur. Nam quod legitur apud Gruterum IN. TER. TRIBVNOS, id utique ego falsum esse iudico, ortumque ex errore eius, qui descripsit. Quamquam enim ex duabus his inscriptionibus intelligendum esse puto, etiam eos, qui patricii essent generis, potuisse referri inter tribunicos, ut imperatorem constat, qui semper erat patricius, tribunicia potestate perpetua fuisse, ita certe fieri non potuit, ut vere essent tribuni plebis. Nec ii alleguntur, sed fiunt. Ex hac autem inscriptione supplervi priorem, in qua tamen quod addidi *patriciorum*, poterit cuipiam esse dubium. Primum enim ipsam *asciscendi* verbum in hac re potest videri insolitum, cum plerumque dicantur *allecti inter patricios*, ut apud Gruter. p. 393, 6; p. 403, 1. At Tacitus Annal. 11, 25 de hac ipsa Claudii censura sic dicit: *Isdem diebus in numerum patriciorum ascivit Caesar vetustissimum quemque e senatu* etc. Deinde videbitur esse oportere in *numerum patriciorum*: verum et in altera inscriptione est *allectus in ordine senatorio*, et apud Gruterum p. 390, 5 inveniо *allectus in splendidissimo ordine a Divo Traiano*. Denique quis praestare potest, non fuisse in ipso lapide fortasse NVMER. vel NVM., ut etiam *numerum* explere possis? Certe nescio, quid hoc loco possit esse aptius. Animadvertite autem etiam *referendi* verbum, pro quo poni solet *allegendi*.

M . CALVI . M . F . PAP . PRISCI
 FILII . M . CALVI . PAP . PRISCI
 PATRI . ADLECTI . IN . ORD.
 SENATORIO . A . TI . CLAUDIO.
 CAES . AVG . GERMANICO . CENS.
 INTER . TRIBVNOS
 T . CALVI . M . F

Nec sub Claudio ommissum est alterum genus ornamentorum alicuius honoris a senatu decernendorum. Nam Ciloni, procuratori Caesaris, consularia ¹⁾, Aquilae, equiti Romano, praetoria insignia a senatu data esse narrat Tacitus Annal. 12, 21. Maxime vero illud memorabile, quod Dio libr. 60, 8 narrat, Claudium Agrippae, regi Palaestinae, qui se ad imperium capessendum adhortatus esset, consularia, fratri eius Herodi praetoria ornamenta tribuisse, quod primum certe exemplum est honorum pop. Romani peregrinis tributorum. Nec sane illi senatores erant aut sententiam in senatu dicebant: addit ipse Dio, tanquam peculiare aliquid, Claudium iis permisisse, ut in senatum venirent ibique sibi gratias agerent. Sub Nerone aucta est et hominum vanitas et senatus erga eos adulatio, qui cum exclusi essent senatu, multum tamen apud imperatorem valebant. Quamquam enim Asconio Labeoni, quo tutore Nero usus erat, consularia ornamenta decerni a senatu (Tacit. Annal. 13, 10) non erat indignum, nec Crispino, equiti Romano (Tacit. Annal. 16, 17); at libertis, Nymphidio con-

1) Huc videtur pertinere, quod Sueton. in Claudio c. 24 dicit: *Ornamenta consularia etiam procuratoribus ducenariis indulsit* i. e. a senatu tribui permisit.

2) Ne decipiamur h. l. narratione Taciti Annal. 15, 72, qui sic fere dicit, quasi Nero ipse Nymphidio consularia insignia tribuerit. Negligentia est ista quaedam scriptorum veterum, qui eas res, in quibus suos aequales errare non posse intelligerent, non explicandas esse putabant. Addit autem etiam Tacitus, *vocato senatu* Neronem Nymphidio consularia ornamenta tribuisse i. e. retulit princeps ad senatum, ut ei a senatu tribuerentur, senatusque ita decrevit. De Pallantis quidem honore senatus consultum factum esse constat ex Plinii Epistol. 7, 29 et 8, 6.

sularia, Pallanti praetoria dari insignia turpe erat?). Allectos etiam esse inter eos, qui honore aliquo functi erant, nec inuenio a Nerone nec a tribus, qui secuti sunt, imperatoribus¹⁾. Sed Vespasianus cum anno 74 p. Chr. cum Tito filio censuram ageret, multos videtur ea ratione promovisse. Imprimis memorabiles eo in genere sunt duae inscriptiones, quas habet Orellius n. 3659 et 1174, quas, quia paulo longiores sunt, hic nolo repetere. In illa Cornutus Tertullus, consul suffectus an. 100 p. Chr. nat. cum Plinio iuniore, dicitur ALLECTUS. INTER. PRAETORIOS. A. DIVIS. VESPASIANO. ET. TITO. CENSORIBVS, in hac C. Saluius Liberalis, celeberrimus orator, ALLECTVS. AB. DIVO. VESPASIANO et DIVO TITO. INTER. TRIBVNICIOS. AB. ISDEM. allectus INTER. PRAETORIOS.²⁾ Etiam Domitianus, qui censoria potestate, ut ex nummis intelligitur, magnopere gloriari solebat, videtur ita allegisse: certe recte eo videtur referri posse Gruter. p. 389, 2 (Orell. n. 798), ubi Tib. Candidus, cos. II. anno 105 p. Chr. nat. dicitur *allectus inter praetorios, item tribunicios*. De ornamentis consularibus vel praetoriis vel quaestoriis hoc tempore siletur, sed sub Nerva eius rei potestatem ab senatu usurpatam esse docet memorabilis haec inscriptio apud Gruterum p. 61, 4:

CN. OCTAVIVS. TITINIVS. CAPITO.³⁾
 PRAEF. COHORTIS. TRIB. MILIT. DONAT.
 HASTA. PVRA. CORONA. VALLARI. PROC. AB.
 EPISTVLIS. ET. A. PATRIMONIO. ITERVM. AB
 EPISTVLIS. DIVI. NERVAE. EODEM. AVCTORE.⁴⁾
 EX. S. C. PRAETORIIS. ORNAMENTIS. AB. EPISTVL.
 TERTIO. IMP. NERVAE. CAESAR. TRAIANI. AVG. GER
 PRAEF. VIGILVM. VOLCANO. D. D.

1) Tametsi senatus ornamenta honorum illo tempore decrevit, ut sub Othone duobus legatis legionum (Tacit. Histor. 1, 79), ut Primo Antonio et Arrio Vero in initiis Vespasiani (Tac. Hist. 4, 4).

2) Haec inscriptio imprimis memorabilis. Nam cum Vespasianus et Titus semel tantum censores fuerint, videtur ita factum esse, ut eodem tempore ille Salonius primum inter tribunicios, deinde inter praetorios referretur, ne quem honoris gradum praetermisisset. Idemque puto factum esse in Tiberio Candido a Domitiano. Ad eandem autem Vespasiani allectionem refero inscriptiones apud Gruter. p. 373, 1 et 413, 8.

3) Est idem hic Titinius Capito, de cuius librorum laude multa habet Plinius in Epistol. libr. 8, 12.

Mus. f. 9616leg. N. 3. II.

ex qua etiam hoc intelligitur, hominem non fuisse senatorem; nam equestrem tantum dignitatem patiebantur ea munera, quibus functus erat. De iis autem, qui allegebantur inter eos, qui honore aliquo functi erant, in nullo ab hoc tempore addi invenio, cum allectum esse ab Imperatore, Censore. Nam nec erat posthac ullus Imperator vere censor et Domitianus, cum primus dignitatem perpetui Censoris recepisset (Dio libr. 67, 4), cum honorem vulgaverat, quem morem retinuerunt ceteri Imperatores, ut semper inter praetorios, tribunicios, quaestorios referrent, tanquam vere censores essent. Sub Traiano neminem possum nominare, qui ornamentis alicuius honoris auctus sit, sed allectos esse inter praetorios et inter tribunicios testantur inscriptiones apud Gruter. p. 440, 4 et p. 421, 2 (Orell. 800). Ex Hadriani autem temporibus rursus insigne invenitur exemplum, unde discrimen inter ornamenta honoris alicuius et illud, quod est referri inter eos, qui honorem aliquem gesserunt, intelligatur. De eo enim Aelius Spartian. c. 8 ita dicit: *Senatus fastigium in tantum extulit, difficile faciens senatores, ut, cum Tatianum, ex praefecto praetorii ornamentis consularibus praeditum, faceret senatorem, nihil se amplius habere, quod in eum conferri posset, ostenderit* ¹⁾, quae sic intellige: Tatianus ille, cum praecesset praetorio, consularibus insignibus donatus erat ²⁾, deinde cum illa praefectura solu-

4) Affertur etiam alia similis inscriptio, ubi L. Mummius Achaicus Augustis auctoribus ex S. C. ornamentis praetoriis ornatus esse dicitur, a Grutero p. 1073, 7; sed ea, quia minus emendata est, uti nolo nec intelligo, ad quos imperatores pertineat.

1) Quæri potest, quo loco hic Tatianus, in senatum allectus, sententiam dixerit, num inter consulares an inter vulgum senatorum. Non puto inter consulares; nam Dio libr. 46, 46, quem locum in proxima nota ascribam, tanquam prorsus insolitum refert, ornamenta consularia, si quis postea vere consul fiat, pro vero consulatu numerari. Ascriptum esse puto ab Hadriano, quo loco novus senator in senatu esset.

2) Nam solebant omnino praefecti praetorio consularia insignia accipere, quod supra in Nerone vidimus, infra in Antonino Pio videbimus. Addo ex inferioribus temporibus insigne exemplum Plautiani, praefecti praetorio Imp. Severi. De eo igitur Dio libr. 46, 46: *Σεβήρος γὰρ αὐτοκρατορῶς πρώτος Πλαυτιανὸν ὑπατικαῖς τιμαῖς τιμήσας καὶ μετὰ ταῦτα ἔς τε τὸ βουλευτικὸν ἐσαγαγὼν καὶ ὑπάτων ἀποδείξας ὡς καὶ δεύτερον ὑπατεύσαστα ἀνεκήρυξε*, Quamquam igitur Plautianus ha-

tus esset, Hadrianus eum ut eximio aliquo honore maclaret, in senatum allegit. Allectos esse ab eodem Hadriano praeter hunc C. Curtium, de quo dicimus, alios etiam indicat Gruterus p. 446, 4. Videri autem potest Hadrianus in hoc ficticio genere honorum hoc mutasse, ut ipse sine S. C. ornamenta honorum donaret: ut Iul. Capitol. de Antonino Pio c. 10: *praefectos suos (praetorio) et locupletavit et ornamentis consularibus donavit*, nec in titulo Bassaei Rufi, qui est ex Commodi tempore, apud Gruter. p. 375, 1 additur ex S. C. data ei esse consularia insignia, similiterque ceteri scriptores dicunt. Sed parum hoc refert, S. C. interponi consueverit necne: siquidem cum antea, tum post hoc tempus omnia ab arbitrio principis profecta esse constat. Verum discrimen, quod supra inter ornamenta honorum et inter titulum functi honore statui, mansit, dum omnes hi honores eversi sunt. De allegendi quidem more, quomodo usurpatus sit postea, memorabilis est locus Iul. Capitol. in vita Pertinae. c. 6: *cum Commodus innumeris allectionibus praetorios miscuisset, senatusconsultum Pertinax fecit, iussitque eos, qui praeturas non gessissent, sed allectione accepissent, post eos esse, qui vere praetores fuissent.*

Nimirum Commodus summos quosque honores omnibus detulerat. Inter praetorios autem referri summus eius generis erat honor. Quid, inquires, nonne potuit aliquis inter consulares ascribi? At hoc ipsum nunquam invenio esse factum. Nec opus erat; nam si quem imperator inter consulares esse volebat, eum sufficiebat consulem, qua quasi divisione consulatus fiebat, ut eum plurimis senatoribus honores illi consulares communicarentur. Quod quoniam in praetoribus, tribunis, quaestoribus, qui semper vere annui manserunt, numquam factum est, alia ratio eorum multiplicandorum inventa est 1).

hauerat consularia insignia, tamen, antequam consul fieret, opus erat ascribi eum in senatorum numerum. Etiam Macrinus, praefectus praetorio Caracallae, habuerat consularia insignia (Dio libr. 78, 13); item Comazon sub Elegabalo (Dio 79, 4).

1) Exceptis videlicet Augusti temporibus, quibus tamen quod si-

Similiter nunquam invenio tribunicia ornamenta a senatu esse decreta. Quippe nulla erant insignia tribunorum plebis, ac ne honos quidem recte tribunatus dici potest. Nam hoc proprium fuerat tribunorum, ut nulla externa specie conspicui plurimum tamen in republica valerent.

Atque haec quidem de tribunatus illa specie, quam gessit C. Curtius, dicenda erant: qui fortasse, quod erat patricio genere, verum gerere non potuit. Deinceps, ommissa aedilitate ¹⁾, praetor factus est et peregrinus quidem, de quo, quia in eius munere ex antiquis temporibus nihil magnopere mutatum est, hoc loco non dicam.

At ea dignitas C. Curtii, quae insequitur in hoc titulo, maiorem habet difficultatem. Est enim factus IIIII VIR. TURMIS. DVCENDIS ²⁾. Nec tamen opus est de ea multa hic disputare, quia omnia, quae huc pertinent, exposita sunt a C. T. Zumptio, patruo meo carissimo, in libello germanice scripto de equitibus Romanis et ordine equestri (Berol. 1840) p. 39. Is satis demonstravit, equitum Romanorum, antequam in senatorium ordinem transirent, hunc summum fuisse honorem, ut uni ex sex turmis equitum Romanorum quasi praeficerentur. Quare in titulis, ubi honores recenserentur, seviratum hunc modo ante quaesturam poni, modo ante tribunatum militum, modo etiam ante minora illa munera, quibus senatores aequae atque equites fungi poterant, ut III viratum monetalem. (Exemplum vide apud Maffei Museo Veronensi p. 252, 3). Quibus nihil habeo quod addendum esse videatur: duo tamen

mile erat huic allectioni, re multo diversum fuisse supra demonstravimus.

1) Nam hunc honorem iam antiquitus magis propter gratiam populi conciliandam, quam propter potestatem, quae exigua in eo erat, quaesitum, sub Imperatoribus, cum populi favor ad ceteros honores assequendos nihil valeret, parum esse expetitur constat. Quare factum est, ut etiam sumptus cum eo coniuncti ad praetores potius deferrentur. Vide Dion. Cass. 54, 2 et 17; 55, 31.

2) Seivert. et Hohenhausen., qui III. III VIRO legunt, coniungunt cum antecedentibus sic interpretantes: Praetori peregrino trium Dacia-rum, cum Daciam provinciam in tres partes divisam fuisse sibi persuassent. Quod refutari non opus est.

sunt in hoc lapide, quae notabilia existimem. Primum enim hic Curtius nominatur *VI VIR turmis ducendis*, quod quamquam praeter alteram inscriptionem Curtii huius, quam supra attuli, nusquam reperitur, verissimum tamen videtur. Nam praecipuum et munus et honos *VI* virorum erat, ut in sollemni transvectione equitum Rom., quae sub Imperatoribus quotannis fieri solebat ¹⁾, suam quisque turmam duceret, quare legitimum adeo nomen his *VI* viris fuisse puto *turmis equitum Rom. ducendis*, quod in ceteris, quae extant, inscriptionibus brevitatis causa contractum est. Alterum, quod dixi animadvertendum esse, est tempus, quo Curtius hunc honorem cepit. Contra enim ac supra demonstratum est, eum post praeturam assecutus esse existimandus est. Quod fieri potuisse ostendit M. Antonini exemplum, qui cum quaestor et consul designatus esset, factus est *VI* vir, ac simile exemplum deprehendere mihi videor apud Orellium n. 2761, ubi aliquis adeo post consulatum eo munere functus esse dicitur, in quo cum magis honos quam administratio quaereretur, parum intererat, quo quis id tempore caperet. Totum igitur hunc locum, qui est de *VI* viratu C. Curtii, sic expleo (nam deesse aliquid spatium, quod in versu 6. vacuum est, significat): IIIII VIRO. EQ. ROM. TVRMIS. DVCENDIS ²⁾.

1) Nam hoc una cum recognitione equorum inductum esse ab Augusto demonstravit patruus l. 1. p. 38. Memorabilis autem est h. l. etiam ipsa forma nominis. In inscriptionibus enim omnibus, quas novi, aut dubium est genitivus additus sit an dativus nomini *VI* viri, aut positus est genitivus, ut apud Grut. p. 436, 7 *Sevir turmarum eq. Rom.*; p. 348, 1 (Orell. 2258) *vir equitum Rom.* At aperte dativum habet Iul. Capitol. in M. Anton. c 6: *adhuc quaestorem et consulem secum Pius Marcum designavit — et virum turmis equitum Rom. creavit*, ut haud sciam an etiam alibi dativus potius quam genitivus intelligendus sit, ut Gruter. p. 1097, 4 *Sevir turmae eq. Rom.*; Grut. p. 412, 2 *Sevir turm. II equit. Rom.*

2) Solet enim hoc *equitum Rom.* apponi aut ante *turmae* vocem aut post. Sic *Sevir equitum Rom. turmae secundae* Orell. n. 3046; *Sevir equit. Rom. turmae III* Gruter. p. 1026, 3; *Sevir eq. Rom. turmae* Gruter. p. 393, 6: at *Sevir turmae equitum Rom.* Gruter. p. 1097, 4; *Sevir turmae II eq. Rom.* Grut. p. 412, 2 et 467, 5. Duas novi inscriptiones, in quibus omissum est, una, quam supra p. 261. attuli, in qua ego fuisse puto in versu antecedenti, altera apud Orell. n. 3045, quae ex Fabretti schedis Barberinis petita mihi suspecta est.

Sequitur, ut dicam de *praefecto frumenti dandi*; nam ita ex lapide ipso in hac inscriptione recte emendavit Gudius. Institutus erat is magistratus ab Augusto, de quo Sueton. Octav. 37: *nova officia excogitavit, curam operum publicorum, — frumenti populo dividendi*. Quod qua necessitate inductus fecerit, plenius narrat Dio libr. 54, 1. Anno enim 22. a. Chr. nat. cum ingenti pestilentia ac fame urbs premeretur, coactus Augustus a populo ipse recepit praefecturam annonae, veteri exemplo Pompeii, qui eidem rei aliquando summa cum potestate praefuerat; simulque hoc instituit, ut quotannis 11 viri, qui ante quinquennium praefectores fuissent, ad frumentum populo dividendum crearentur. Sed sex annis post eorum praefectorum ratione mutata Augustus instituit, ut ex iis, qui ante triennium praefectura functi essent, quattuor sorte eligerentur, qui *ἐκ διαδοχῆς*, ut Dio libr. 54, 17 ait, frumento dividendo praessent ¹⁾. Prorsus igitur diversa erat haec frumenti dividendi praefectura etiam ipsis initiis a praefectura annonae. Proprie enim et fere usque ad exitum vitae ipse Augustus mansit praefectus annonae eamque potestatem bis legatis, primum anno 6. p. Chr. nat., cum magna fames Romae esset, nonnullis consularibus (Dio libr. 55, 26), deinde insequenti anno rursus ingravescente annona duobus item consularibus, quibus etiam lictores permisit, detulit. Vide Dionem libro 55, 31. Postremis autem vitae annis obsecutus amicorum consilio (vide Dion. libr. 52, 24) instituit praefectum annonae ex equitibus, qui curaret, ut et frumenti et reliquae annonae copia Romae suppeteret. Cf. Lipsium ad Taciti Annal. 1, 7. ²⁾

1) Totus Dionis locus hic est: *Ταῦτά τε οὖν ἕκαστα διανομοθέτει καὶ ἕνα ἐπὶ τῇ τοῦ σίτου διαδόσει προβάλλωνται καὶ οἱ ἐν ταῖς ἀρχαῖς ἔτι ὄντες ἕνα ἕκαστον ἐκ τῶν πρὸ τριῶν ἐτῶν ἐστρατηγησάντων καὶ ἐξ αὐτῶν τέσσαρες οἱ λαχόντες σιτοδοτῶσιν ἐκ διαδοχῆς*, quem apposui, quia in nonnullis cum corruptum esse puto. Nec tamen cum nullam lectionis varietatem adnotari videam, periculum faciam emendandi. Haec tamen duo certa sunt, primum praefectos quattuor electos esse ex praetoriis et electos esse sorte. Illud autem *ἐκ διαδοχῆς* quid significet, paulo infra dicetur.

2) Primus videtur fuisse C. Turanius, qui nominatur in initiis Tiberii a Tacito Annal. I, 7, etiamsi ea quae idem Annal. 11, 31 dicit,

Constat igitur, ut origo praefectorum annonae et praefectorum frumenti dandi diversa fuit, ita diversum eorum fuisse ius. Nam quod Augustus instituerat, ut praetorii viri ad hanc praefecturam frumenti eligerentur, id semper usque ad Diocletianum servatum esse intelligo ex inscriptionibus, quas infra afferam. Insignia autem iis quasi magistratibus concessa esse a senatu auctore Augusto discimus ex senatusconsulto anno 11. a. Chr. nat. facto, quod Frontinus de aqueductibus libello suo inseruit §. 100; idemque eorum fuisse officium, quod curatorum aquae esse ibidem demonstrat Frontinus¹⁾.

non hoc significare arbitror, primum praefectum fuisse Turanium. Invenio autem hanc praefecturam contra ac praecipit Maecenas apud Dion. 52, 24, nullo certo annorum spatio finitam fuisse, sed mansisse praefectos, quamdiu Imperatori placeret. Ut Turanium illum ex Tacito Annal. 11, 31 discimus etiam sub Claudio fuisse praefectum annonae, et fuisse puto etiam sub Nerone, qui mortuo eo praefecit Fenium Rufum (Tacit. Annal. 13, 22). Equestri autem dignitate hanc praefecturam fuisse non modo Dionis testimonium, quod supra dixi, parum certum docet, sed etiam Feni Rufi exemplum, quem a Nerone postea praetorio praefectum esse narrat Tacit. Annal. 14, 51, quam notum est equestrem dignitatem fuisse usque ad Alexandrum Severum (Ael. Lamprid. in vita eius c. 21.). Confirmant hoc inscriptiones duae apud Gruterum p. 32, 6 (313, 6) et p. 426, 5, in quibus qui sunt praefecti annonae, nulla senatoria dignitate usi sunt. Cf. etiam Pomponium §. 33 in Dig. de origine iuris (1, 2). Sed post Diocletianum, ut praetorio, ita huius praefecti ratio mutata est.

1) Ipsa senatusconsulti verba apponenda esse arbitror: *Placere huic ordini, qui aquis publicis praeesent, cum eius rei causa extra urbem essent, lictores binos et seruos publicos ternos, architectos singulos et scribas, librarios, accensos, praeconesque totidem habere, quot habent ii, per quos frumentum plebi datur: cum autem in urbe eiusdem rei causa aliquid agerent, ceteris apparitoribus iisdem, praeterquam lictoribus, uti.* Quod igitur erat officium horum praefectorum? Cum extra urbem nihil haberent negotii, lictores non habuisse existimo: pro architectis erant mensores. Ceteri iidem erant, qui curatoribus aquarum, servi publici, accensi praeconesque. In eodem autem hoc S. C. loco, qui item ad hos praefectos pertinet, vitium video esse relictum ab interpretibus, quod mansit in recentissima A. Dederichii editione. Locus autem hic est: *Vtique, quibus apparitoribus ex hoc S. C. curatoribus aquarum uti liceret, eos ad aerarium deferrent, quique ita delati essent, iis praefectores aerarii mercedem, cibaria, quanta praefecti frumento dando dare deferreque solent, annua darent et attribuerent, usque eas pecunias sine fraude sua facere liceret.* Ibi est emendandum praefectis frumento dando. Iubet enim senatus apparitorum, quos ab ipsis curatoribus eligi puto, nomina ad aerarium deferri, ut iis merces et cibaria (Gehalt und Entschädigung für ihren Lebensunterhalt; nam non vero cibaria data, sed pecuniam pro iis solutam esse intelligitur ex iis, quae paulo post sunt *usque eas pecunias*) erogentur, in quam rem senatus tantum

Sub Augusto igitur quattuor erant praefecti frumenti dandi, sorte ex praetoriis electi (nam cum rationem mulatam esse ab eodem, nullum est testimonium); verum post eum, nescio quo tempore, hoc videtur esse mulatum, ut pro pluribus praefectis frumenti dandi fieret unus. Quae opinio quamvis coniectura tantum nitatur, dicam tamen quod sentio. Vtor enim rursus Frontini illo loco §. 101, qui proximus senatusconsultum, quod modo dixi, insequitur 1), ubi narrat, quibus porro rebus curator aquarum ornatus sit. Est autem secundum optimos codices, Casinatem et Vrbinatem, cum quibus ceteri fere consentiunt, hic: *Itemque, cum viarum curatoresque frumentique parte quarta anni publico fungebantur ministerio, ut curatores aquarum iudiciis vacent privatis publicisque.* Quibus cum nullam sententiam effici appareat, non magis recta sunt, quae in editionibus inveniuntur, quarum in recentissima Dederichii sic scribitur: *Itemque, cum viarum quoque curatores frumentique, parte quarta anni publico fungantur ministerio, ut curatores cet. ubi nec quoque aut fungantur est in ullo codice, nec sententia ullo pacto ferenda 2).* Ego vero, ne longus sim in iis, quae falsa sunt, intercidisse puto in codicibus nonnulla, lacunamque, quae antiquitus exlitterit, omissam postea. Nec id in hoc Frontini libello debet novum aut insolitum videri: sunt enim in eo multae lacunae, quae per omnes codices servantur: in hac autem etiam in simili sono

pecuniae vult erogari, quantum erogabatur a praetoribus, qui tum accario praecerant, in apparitores praefectorum frumento dando.

1) Perverse enim factum est a Dederichio, ut neglecta Brissonii auctoritate a prioribus editoribus discedens haec ad ipsum S. C. referret. Nam Frontin. §. 99 totum hoc S. C. factum esse dixerat de officio curatorum aquae i. e. de eorum apparitoribus et ministris (nostrum Bureau), nec certe illa ad officium, sed ad ius eorum pertinent.

2) De qua tota editione, ut ex hoc insigni exemplo iudicari possit, appono, quomodo iste sua, quae putat esse latina, explicet: *Itemque senatus placuit, ut aquarum curatores, cum, simul suscepta etiam viarum frumentique cura, quartam anni partem huic negotio impendere cogentur, ut aquarum curatores, inquam, ne ob hanc negotiorum multitudinem ullam publicae administrationis, in aquarum potissimum cura positae, officium damno civitatis negligenter, iudiciis saltem privatis publicisque vacarent.* Quamquam non multum differunt priores editores.

corum, quae perierunt, causam invenire videor, quare omissa sint. Sic igitur totum hunc locum, secutus praeter duas res accurate codices, lego et expleo: *Itemque cum viarum curatores frumentique, qui parte quarta anni publico fungebantur ministerio, (iudiciis vacent, constituitur) ut curatores aquarum iudiciis vacent privatis publicisque, in quibus etsi verba praestare non possumus, sententiam tamen videmur esse assecuti. Hoc enim dicit Frontinus, quamquam proprie curatores aquarum nulli sint magistratus, tamen iis concessum esse, ut non legerentur in decurias iudicum 1). Idem enim fuisse datum curatoribus viarum 2) et praefectis frumento dando, ex quibus hi quidem quarta tantum parte anni publico ministerio fungebantur. Refero enim huc, quod supra ex Dione attuli, qui quattuor viros praetorios ab Augusto frumento dividendo praefectos ἐκ διαδοχῆς ait munere suo functos esse i. e. ut nomen quidem et insignia magistratus per totum annum omnes haberent, vere autem praecessent ternos quisque menses. Id autem fuisse aliquando, non amplius esse suo tempore significat Frontinus, cum ait fungebantur. Videtur autem hic magistratus, qui antea, quo plures muneris plebi tam grati participes essent, inter quattuor viros divisus fuerat, uni esse delatus: nusquam enim praefecti, semper praefectus commemoratur.*

Possem hic descendere ad largitiones frumentarias sub Imperatoribus habitas (nam eo hunc praefectum pertinere ipsum eius nomen indicio est), ut inde explicarem, quam rem C. Curtius in hoc magistratu egerit, qui locus plenus esset quaestionum. Sed vereor ingredi eam disputationem, quae abducit ab honoribus, de quibus omnis haec opera suscepta

1) Ambigue dictum est *iudiciis vacare*; potest enim etiam esse *in iudicium vocari non posse*, itaque fere editores videntur intellexisse. At aliter docet Ulpianus l. 32 Dig. de iniuriis (XLVII, 10) *minores magistratus i. e. qui sine imperio aut potestate sunt, et in ipso magistratu posse conveniri.*

2) Noli intelligere iv viros viarum curandarum, sed qui vere dicuntur curatores, de quibus paulo infra disputabimus. Nec ad eos pertinet, quod Frontinus de quarta anni parte dicit.

est. Vnum tamen est, quod addendum sit ex inscriptionibus. In iis enim non simpliciter dicitur *Praefectus frumenti dandi* (sic enim in iis ubique est, ubi plena sunt vocabula, nunquam *frumento dando*), verum *Praefectus frumenti dandi ex S. C.*, ut apud Gruterum p. 187, 1, quae inscriptio est ex temporibus Tiberii, et apud Orell. n. 77, ex temporibus Antoninorum ¹⁾. Quo igitur pertinet illud ex S. C.? Ad dandi frumenti rationem opinor. Senatus enim quotannis statuebat, quantum frumenti, quot hominibus, quo pretio dividi placeret; quam rem pro annonae vel caritate vel vilitate variari oportebat.

Sed ut revertamur ad hunc C. Curtii titulum, eum locum, qui est de hoc magistratu, qui modo a nobis explicatus est, quoniam deesse aliquid videtur, sic explendum puto: PRAEF.

FRUMENTI . DANDI . EX . S . C .

Sequitur deinceps, ut dicamus de *Curatore viae Clodiae, Anniae, Cassiae, Ciminiae*. Hoc quoque genus curatorum viarum invenit Augustus, qui ut ad urbem exornandam magno-pere viros principes hortabatur, ut suo sumptu aedificia vel vetustate collapsa restituerent vel nova extruerent, ita extra urbem ditissimis vias publicas, quas imprimis imperii Rom. decora esse intelligebat, tuendas distribuit (Sueton. in eius vita 30). Consueverat id fieri iam libera republica, ut Caesar a Plutarcho in eius vita c. 5 post quaesturam narratur habuisse curam viae Appiae, ut Thermus quidam paulo antequam consulatum peteret, Flaminiae viae curator est apud Ciceronem ad Atticum 1, 1. Inde factus est ab Augusto, qui honores cum multis communicare volebat, perpetuus ac certus magistratus (Sueton in August. c. 37 et Lipsius ad Tacit. Annal. 3, 31), iis, quos supra dixi, praefectis frumenti dandi, item curatori aquarum et cloacarum dignitate par (vide Plin. Epistol.

1) Ceterae inscriptiones, in quibus idem invenitur, sunt apud Gruterum p. 344, 8; p. 440, 2; et explendum est apud Orellium n. 4910. Deest in duabus inscriptionibus, apud Gruterum p. 1091, 8 et Murator. p. 359, 1 (Maffei. Museum Veronens. p. 113, 1; Orell. 2377 et 2702). Nam tertiam, quam Murator. p. 1113, 4 habet, ex Ligorio petitam, quae aperte falsa est, non numero.

5, 15 init. Omnes enim hi eligebantur ex viris praetoriis, quod de praefectis frumenti dandi scimus ex Dionis testimonio, quod supra dixi, de ceteris certo colligimus ex eorum, qui munus gesserunt, exemplis ¹⁾. De electione quidem eorum colligi potest ex iis, quae de curatoribus aquarum narrat Frontin. de aquaeduct. §. 100, qui refert S. C. de iis factum, quod ita orditur: *Quod Q. Aelius Tubero, Paulus Fabius Maximus Coss. V. F., de iis, qui curatores aquarum publicarum ex consensu senatus a Caesare Augusto nominali essent, ordinandis.* Cf. Frontin. §. 104. Factum est hoc S. C. anno 11 a. Chr., simulque aliud, quo ius curatorum aquae definitur, in quo commemorabantur curatores viarum. Vide, quae supra p. 280 ex Frontino attulimus. Sequitur igitur hoc, ut ante annum 11 a. Chr. nat. perpetuum hoc ac certum munus curatorum viarum institutum sit. Quas autem res curarint cum quaeritur, plus honoris quam potestatis in iis fuisse puto; imprimis autem occasionem publice ostendendae munificentiae, qua commendarentur. Iul. Capitol. in Marco Antonino c. 11 narrat vetus eorum fuisse ius, ut eos, qui in viis publicis ultra vectigalia quicquam ab aliquo exegissent, punirent vel praefecto praetorio puniendos traderent; et Venuleius libr. I Interdictorum in Dig. de cloacis (XLIII, 23), si quis novam cloacam facere velit, ab iis concedi oportere ait. Denique hi sunt magistratus illi apud Tacitum Annal. 3, 31, quorum incuria cum itinera impervia facta essent, sub Tiberio severa quaestio habita est. Cf. etiam Paulus sentent. recept. lib. V tit. 6 §. 2.

Augustus igitur cum hunc quasi magistratum institueret, omnes vias publicas extra urbem Romam in portiones quasdam aequales divisit, ut, quae longiores essent, solae uni traderentur curator, quae breviores, cum aliis congungerentur. Quaeritur igitur, ubi fuerit is complexus quasi viarum, qui C. Curtio

1) Vide inscriptiones, quas paulo infra de curatoribus viarum Clodiac. Anniae etc. afferam, et quae supra sunt de praefectis frumenti dandi p. 282.

tuendus traditus est. Qua in re nolo refutare errores eorum, qui inscriptiones Dacicas collegerunt, qui cum eum, qui Daciae pro praetore praefuisset, semper in Dacia versatum esse existimarent, omnes has vias, Clodiam, Anniam, Cassiam, Ciminiam in Dacia vetere quaerebant, et quas non invenissent, emendando efficere studebant ut invenirentur, quemadmodum pro *Ciminia* via Seivertus *Geminam* scribendum esse sibi persuasit. Commemoro tamen, quia in Franckii libro de vita Traiani nuper edito omnes hos errores acceptos ac probatos video.

Videntur autem omnes hae viae eiusmodi fuisse, ut una esset praecipua, ceterae eius quasi rami, idque prorsus confirmat inscriptio apud Gruter. p. 433, 1 (Orell. n. 3143), in qua *Curator viar(um) et praef(ectus) aliment(arius) Clodiae et cohaerent(ium viarum)* commemoratur. Nam quae sint aliae hae *cohaerentes* viae, nisi eae, quae hoc loco commemorantur, Annia, Cassia, Ciminia? Princeps igitur ex his erat *via Clodia*. Ea oritur ex Flaminia ¹⁾, quae Roma Ariminum ducbat, ad eam stationem, quae in tabula Peutingeriana est *ad Rubras*, quae tribus milibus ab ponte Mulvio, unde Flaminia orditur, ponitur (vide Cluver. Ital. antiq. p. 526). Ab tribus milibus inde ad eum locum, qui vocatur *ad Sextum* (Cluver. l. l. p. 524) dividitur ita, ut ad dextram emittat viam Cassiam, ipsa per *Carciam, Sabate, Forum Clodii, Tuscaniam, Maternum, Statoniam, Saturniam, Rusellas* viam Aureliam prope inferum mare ducentem petat. *Via* autem *Cassia*, ubi ex Clodia exiit, *Veios* ducit, *Baccanas, Sutrium, Forum Cassii, Vulsinios, Clusium, ad novas statuas, Arretium, Birturgiam, ad Casas Caesarianas, Florentiam, Pistoriam, ad Martis Lucam* ²⁾. *Via Annia* quae fuerit, nescit Bergierius

1) Significat hoc Ovidius ex Ponto 1, 8, 43 *nec quae piniferis positos in collibus hortos spectat Flaminiae Claudia iuncta viae*.

2) Contexui hunc indicem stationum ex itineralio Antonini p. 284 edit. Wesseling. et ex tabula Peutingeriana. Ex hoc autem, quod de via Cassia ex Clodia exeunte dixi, explicandum est, quod in Antonini itineralio huic itineri, quod modo descripsi, inscriptum est *via Clodia*

de viis militaribus Romanorum libr. 3 cap. 19 p. 427; nec video ab aliis exponi, ubi fuerit, quo duxerit. Equidem fuisse existimo eam viam, quae in tabula Peutingeriana notatur exiens paulo ante Sutrium ex via Cassia, cuius deinde stationes sunt hae: *Nepe, Falerii, Castellum Amerinum, Ameria, Vettona, Perusia*, dum ad Clusium rursus cum Cassia coit. At hanc ipsam, quae modo descripta est, viam Holstenius ad Cluverium p. 52 dicit esse Amerinam, eam, quae commemoratur in inscriptione apud Gruter. p. 446, 4 (Orellium n. 3306), ubi est *Curator viarum Clodiae, Anniae, Cassiae, Ciminiae, trium Traianarum et Amerinae*. Cui obstare puto aliam inscriptionem in civitate Castellana, quod vetus est Faliscorum oppidum ¹⁾, repertam, sub Augusto positam, apud Gruter. p. 149, 5 (Orell. n. 3310), ex qua hoc colligo, viam aliquam, nomine Augustam, quae extra portam illius municipii ab via Annia ad templum aliquod Cereris ducebat, silice esse stratum ²⁾. Addo similem inscriptionem ibidem repertam, quam citat Holsten. ad Cluver. p. 57, quae est apud Orell. n. 1303, de eadem illa via Augusta, quae ibi a porta Ciminia Faleriorum ad portam Anniam duxisse dicitur. Necessesse est igitur, viam Anniam, a qua porta illa nominabatur, duxisse per Falerios, et esse hanc ipsam, de qua h. l. dicendum est. Quae autem tum via Amerina erit? Nimirum ego existimo viam Amerinam et Anniam fuisse eandem, ita quidem, ut ea pars eius viae, quae a via Cassia Ameriam duceret, proprie diceretur Amerina, reliqua, quae per Perusiam Clusium, proprie Annia, ut utraque tamen communi etiam nomine Anniae viae comprehendi soleret. Ideo et Falisci eam viam, quae per suam ur-

et iter *Luca Romam per Clodiam*, ubi Cluverus in Ital. antiq. p. 269 et Holstenius in Cluver. Ital. p. 52 corrigunt *via Cassia* et *per viam Cassiam*; nam Cassiam per mediam Etruriam duxisse constat ex Cicerone Phil. XII, 29. Sed ego arbitror, qui itinerarium illud composuit, hoc secutum esse, quod Cassia via exit ex Clodia, ut supra vidimus omnes has vias dici *Clodiam et cohaerentes*.

1) Vide Cluver. Ital. antiq. p. 540 et Holsten. ad Cluver. p. 57.

2) In ea inscriptione item commemorantur quattuorviri, qui non sunt viarum curandarum, sed municipalis magistratus.

bem ducebat, recte dicere poterant Anniam, et inscriptione illa Gruteri appellari curator viae Anniae et Amerinae, quae proprie unius erat Anniae cura. Superest in hac, de qua dicimus, inscriptione *via Ciminia*¹⁾, de qua dubitatur. Quae item illustratur ex illa Holstenii inscriptione. In qua cum Ciminia via dicatur prope Falerios fuisse, fieri non potest, quin Cassiam viam cum Flaminia ita coniunxerit, ut per Ciminium saltum et per Falerios duceret. Sic has quidem, quae proprie ad hanc disputationem pertinent, vias explicare studuimus: verum etiam alias curae C. Curtii subiectas fuisse puto. Nam in inscriptione supra citata una commemorantur *viae tres Traianae et Amerina; nova Traiana* apud Gruter. p. 1091, 8 itemque apud Orell. n. 822. Ex iis nulla, quo loco fuerit, certo dicit potest; sed novam Traianam appellatam esse coniectio partem eam viae Cassiae, quae est citra Clusium. Sic enim fieri video in viis, quae ab imperatore aliquo restituae sunt, ut nomen eius veteri apponatur (vide Grut. p. 199, 1 (Orell. 150), ubi *Traiana Appia* est), nec in hac provincia viarum curandarum Traiana modo adderetur modo omitteretur, nisi videretur etiam Cassiae nomine posse comprehendi. Eam autem partem Cassiae viae, quae a Clusinorum finibus Florentiam ducit, ab Hadriano relectam esse discimus ex Grutero p.

1) Sic equidem ubique scribendum esse existimo, cum Claverius in Italia antiq. p. 560 ita statuat, montem et lacum fuisse *Ciminum*, silvam autem et saltum *Ciminium*, quasi inter montem et inter saltum quicquam intersit, ut hic ab illo quasi deductus esse videri possit. Nec conferendus erat Virgil. Aen. 7, 697 eiusque imitator Silius 8, 491, qui cum regionis nomen ab homine aliquo Cimino videantur deduxisse, dicunt *Cimini lacum*. At Livius 9, 36 et 37 nullo prorsus discrimine habet *silva Ciminia*, *saltus Ciminus*, *mons Ciminus*; Plin. nat. hist. 2, 96 (98) *silva Ciminia*; itemque Florus 1, 17, 2 et Frontin. strateg. 1, 2; Strabo libro 5 *Κιμινία λίμνη*. Contra apud Columellam 8, 16, 2 solum nunc legi video *Ciminus lacus*. In inscriptionibus variatur; *via Ciminia* est apud Gruter. p. 1029, 13 et 1091, 8; Orell. n. 822; contra *Cimina* apud Gruter. p. 446, 4 (Orell. 3306) et *Cimina porta* apud Orell. 1303. Sed cum difficile sit in ipsis inscriptionibus discernere, num *Cimina* sit an *Ciminia*, quia I et N in unius litterae formam contrahi solent, eorum potius auctoritas consideranda, qui descripserunt. Atque ita ego *Ciminus* munitius esse invenio maxime propter Orell. n. 822.

156, 2. Quamquam coniectura hanc opinionem niti nec nego et omnem omnino sententiam in hoc genere adeo incertam esse existimo, ut de ceteris duabus viis Traianis nihil dicere audeam, nisi hoc, fuisse eas certe in eadem regione, et viam Cassiam cum Aurelia coniunxisse videri.

Iam, ut complectar, quae ad hunc locum pertinent, in inscriptione C. Curtii videtur fuisse scriptum CVRATORI. VIARUM ¹⁾ CLODIAE. ANNIAE. CASSIAE. CIMINIAE.

Sequitur de Curtii imperiis militaribus. Primum igitur fuisse dicitur LEGATUS IMPERATORIS ANTONINI AVGVSTI PI LEGIONIS XXX VAL. VICT., in quibus cetera quidem aperta et facilia sunt, sed extrema VAL. VICT. dubitationem movent. Possunt illa quidem explicari *Valentis Victricis*, sed nusquam legio trigesima ea habet cognomina. Nam ea post Traiani tempora semper dicitur V. V. i. e. ut ex nonnullis inscriptionibus, ubi plena sunt nomina, intelligitur, *Vlpia Victrix*. Eius sedes erat colonia Traiana, ad Rhenum ab Imperatore Traiano condita. Vide F. Fiedleri monumenta Romana regionis Xanten et Wesel p. 189. Quid igitur? In hac inscriptione utique fuisse puto VLP. VICT. i. e. Vlpiae Victricis, et sic statuo, C. Curtium in hac ipsa colonia Traiana cum legione trigesima praefuisse limiti tuendo.

Deinceps Curtius factus est PROCON. PROVINCIAE. COLLIAE, in quo rursus non opus est refellere Dacicos interpretes, qui nescio quo patriae amore ducti Colliam intellexerunt partem aliquam Daciae provinciae, a collibus ita dictam, quod ineptum est. Nec dicam hoc loco de proconsulibus, quos, ne aliis testimoniis utar, ex Dione libr. 53, 13 constat factos esse etiam eos, qui nondum fuissent consules. At *Collia* illa quae tandem erit? Inaudita prorsus ea est imperii Romani provincia sensitque Scaliger in indice Gruteriano corruptum esse nomen. Emendo ipitur GALLIAE, intelligoque provinciam Galliam

1) Sic enim *viarum* rectius ego scribi puto, cum propter universam rationem grammaticam, tum quia ita scribi video in ceteris inscriptionibus, quae supra a me allatae sunt.

Narbonensem, quae cum ab Augusto senatui proconsulibusque esset relicta, plerumque ita videtur mansisse: nam legatos pro praetore in eam missos invenio tantum a Traiano complures, quo pertinent inscriptiones apud Gruter. p. 1025, 8 et 427, 12, et opinor etiam apud Grut. p. 1093, 7 (Murator. 1119, 4); nam ea, quae est apud Murator. p. 1113, 4, quae Ligoriana est, merito spernitur. Itaque *Proconsul provinciae Galliae* est apud Murator. p. 506, 1 et p. 345, 3 sub Caracalla fere, et apud Gruter. p. 407, 1. Nec addi opus erat, cuius quis Galliae partis esset proconsul, siquidem ceterarum eius provinciarum nulla ex inscriptionibus intelligitur unquam tradita esse proconsuli 1).

Superest ultima C. Curtii dignitas, qui *LEG. PRI. IMP. ANTONINI. AVG. PII. PROVINCIAE. DACIAE* dicitur, quod ineptum est. Quis enim unquam audit plures fuisse legatos in provinciis eosque pro dignitate et ordine quasi numeris esse distinctos. Scribendum igitur est certo *LEG. PRP.* vel *LEG. PPR.* quod magis est usitatum i. e. legatus pro praetore, qui mitti solebant in Daciam ab Imperatore. Exempla alia praeter ea, quae in inscriptionibus, quas supra attuli, sunt, citare non opus est: catalogus eorum, qui in inscriptionibus Dacicis inveniuntur, est apud Seivertum in libro saepe laudato p. 35 sqq. Nec facile fieri poterat, ut eam provinciam imperator senatui traderet, quippe quae imprimis barbarorum incursionibus obnoxia armis semper tuenda atque obtinenda esset.

In hoc autem propraetoris munere, quod C. Curtius administravit, causa quaerenda est, cur ei a colonia Sarmizegetusa titulus hic, quem explicavimus, cum statua, opinor, positus sit. Nimirum ut hodie qui provinciam aliquam administravit, a municipio, in quo versabatur, solet civitate, ut ita dicam, honoraria donari, ita tum rectores provinciarum solebant patroni adoptari, in quo honos magis et bene administratae provinciae signifi-

1) Una est inscriptio, apud Gruter. p. 404, 7, in qua est *PROC. PROVINC. LVGDVNENSIS*, sed eam emendatiorem ipse habet Gruter. p. 417, 5. Exemploque ea esse potest, quam caute versandum sit in iis titulis, qui inusitatum aliquid ac novum exhibeant.

catio quaerebatur quam munus aliquod. Dacicos quidem Propraetores fere omnes invenimus patronos fuisse coloniae Sarmizegetusae, in qua versari solebant.

Iam titulus hic, a quo tota nostra disputatio profecta est, ut expletus et emendatus ostendatur, hic videtur fuisse :

C . C V R T I O F.
 P O L L . R V F I N O . I I I I V I R O .
 V I A R V M . C V R A N D A R V M .
 Q V A E S T O R I . V R B A N O . A D L E C T O .
 I N T E R . T R I B V N I G I O S . A . D I V . H A D R I A N O .
 P R A E T O R I . P E R E G R I N O . I I I I I V I R O . E Q . R O M .
 T V R M I S . D V C E N D I S . P R A E F . F R V M E N T I . D A N D I . E X . S C .
 C V R A T O R I . V I A R . C L O D I A E . A N N I A E . C A S S I A E
 C I M I N I A E . L E G . I M P . A N T O N I N I . A V G V S T I . P I I .
 L E G . X X X . V L P . V I C T . P R O C O N . P R O V I N C I A E
 G A L L I A E . L E G . P P R . I M P . A N T O N . A V G . P I I .
 P R O V I N C I A E . D A C I A E .
 C O L . V L P . T R A I A N A . D A C I C .
 S A R M I Z E G . P A T R O N O .

De honoribus autem ut complectar, quae ex hac disputatione efficiuntur, intelligimus ex Augusti temporibus eos in paucis rebus, quae ad electionis rationem et ad numerum pertinent, esse mutatos, potestatem eorum mansisse eandem fere; at cum libera republica si comparamus, manifesto deprehenditur illud esse actum, ut manente vetere honorum specie potestas omnis ad novos curatores et praefectos transferretur.

Aug. Guil. Zumpt.